

IO. AUG. ERNESTI OPUSCULORUM ORATORIORUM NOVUM...

Johann August Ernesti


Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. AVG. ERNESTI
OPVSCVLORVM
ORATORIORVM

NOVVM VOLVMEN



ACCESSIT
ELOGIVM BEATI VIRI PVBLICE SCRIPTVM

LIPSIAE
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH
MDCCXCI

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. CHRISTIAN. THEOPH. ERNESTI

LECTORIBVS ERVDITIS

S. D.

Non adeo mihi tempora noſtra diſplicent, neque adeo ſum Veſtrae gravitatis et virtutis immemor, vt exiſtimare poſſim quenquam Veſtrum, vel omnino quenquam alium fore, qui me operae pretium hoc libello edendo feciſſe neget. Igitur nec edendi cauſas enumero, nec conſilium excuſo, nec auctorem commendo, quemadmodum facere ſolent, qui, dum praefantur, vel ſibi pauliſper metuunt, vel ſuſpectas auctoris virtutes habent. Hoc vnum vereor, ne tarditatem edendi meam nonnulli vituperent. His primum reſpondeo, tarditatis cauſas eas fuiſſe, quas recenſere et longum ſit, et vero etiam quodammodo invidioſum. Deinde, quod vtile eſt et bonum, quamvis ſero venit, tamen, cum iam adeſt, praeſentia ſua et veluti maturitate, deſiderii acerbitatem conſolatur.

Digitized by Google

De iis, quae hoc volumine continentur, ſingulatim dicere, non arbitror opus eſſe. Quicquid extabat elogiorum, quod quidem ab editione Opuſculorum Oratoriorum Batava abeſſet, ſtudioſe collegi, et his typis exſcribendum curavi. Adieci vnam orationem, rariorem inprimis, et paucis notam, quod nec publice, nec ſuo nomine beatus vir ſcripſerat. Additum autem in fine Elogium Erneſtianum laetabuntur omnes, qui, cum beati viri ingenium legendo perſpexerint cum admiratione, eius totam imaginem ab artificis manu expreſſam intueri volent.

His igitur, quaeſo, Lectores, ita vtamini, vt optimi et ſapientiſſimi viri memoriam recolatis. Mihi vero, praeter ſummam oblectationem, quam curandi libelli ſtudium attulit, non poterit vllum iucundius operae praemium contingere, quam ſi Vobis edendi conſilium probari intellexero. Valete. Scripſi Lipſiae a. d. XVIII. Aprilis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
ELOGIORVM

* 3 XII

Digitized by Google

IO.

Digitized by Google

IO. AVG. ERNESTI

MEMORIAE

ET

ELOGIA

PVBLICE PRIVATIMQVE SCRIPTA

Digitized by Google

Digitized by Google

MEMORIA *)

ERNESTI AVGVSTI DE APFELSTADT

PRINCIPIS SCHWARZBVRGICI E SONDERSHVSANA DOMO A CONSILIIS SANCTIORIBVS CANCELLARII SENATVS ECCLESIASTICI PRAESIDIS ET AERARII PRINCIPALIS PRAEFECTI.

Si, quanta pietate adverſus Socerum optimum movetur animus, tanta facultas data eſſet praedicandarum virtutum, quarum per multos annos ſpectator et admirator fui, et vel ſic in adſpectum proferendae pietatis: profecto nullius nec virtus integrius atque vberius laudata, nec pietas luculentius demonſtrata reperiretur. Sed vt nemo facile aut plures gravioresque pietatis cauſſas, aut maiorem laudandi vel a virtutibus alienis materiam, vel a pietate ſua voluntatem habuit: ita vix quemquam fuiſſe exiſtimem, cuius minus ſolutum in ea re eſſet ſtudium, magisque omnibus vinculis impeditum ac paene conſtrictum teneretur. Nam ſi vel maxime libera pietatis voluntas eſſet, nec ei ſe res vlla opponeret, propter quam ſe revocaret atque reprimeret ipſa: tamen hominem, qui res magis quam verba exercere conſuevit, et factis magis quam oratione officium pietatemque proferre ac probare, ipſius Soceri imitandi diſciplina didicit, de-

*) Haec Memoria ſcripta eſt nomine D. Henr. Chriſt. Boerneri, Princ. Sondersh. Conſiliarii.

Digitized by Google

deficeret, opinor, oratio, quae vel rerum laudandarum vel pietatis magnitudinem aequaret. Sed hoc ſe vinculo liberaret fortaſſe pietas ipſa. Etenim pietas vera et magna ſua ſponte diſerta eſt, nec mutum quemquam eſſe atque infantem ſinit. Enim vero illa ipſa vis pietatis frangitur atque debilitatur memoria et cogitatione voluntatis eius, quam Socer vivus cum ſaepe in ſermonibus oſtendiſſet, ad extremum etiam in teſtamenti tabulis declaravit. Nam qui oculos ſoleret paſcere alienis virtutibus, vel ſpectando vel legendo cognoſcendis, aequiſſimisque auribus alienas laudes audiret, quas et ipſe libenter praedicaret: idem adeo nec legendis nec audiendis laudibus ſuis delectabatur, vt etiam offenderetur. Nemo eum de ſe in eam partem loqui audivit, vt de virtutibus ſuis admonere homines velle videretur: facta verbis ad laudem diſertiora exiſtimabat: quibus agendo virtus probari non poſſet, iis fruſtra verba adhiberi. Quicquid per fortunae ſecundae tempora de laudibus ſuis ſcriptum ab amicis clientibusve acceperat, id omne ille curioſe occultabat, nec his praeconibus virtutum ſuarum dimittendis laudes ſuas propagari ad aliorum ſcientiam volebat. Teſtamento denique cavit, ne mortis ſuae cohoneſtandae cauſſa quicquam fieret, in quo aut aliqua vanitatis ſpecies appareret, aut laudum ſuarum oſtentatio quaeſita videretur. Quomodo ergo, quod vivo Viro non facerem, qui nunquam aliquid adverſus voluntatem eius feciſſe me et ſcio, et gaudeo: neque enim probaret, aut permitteret: id facere ſuſtinebo mortuo: cum dolor e iactura eorum, quibus cari fuimus, etiam curioſiores in conſervanda mortuorum voluntate ſoleat reddere? Ita pietas ſibi obſtat ipſa. Sed vincat tamen in eam partem, quae eſt ad communem exiſtimationem honeſtior, et ad animi honeſti placationem tranquillior. Quomodo enim cuiquam ſatis gratus adverſus tot Viri, non mihi magis, quam aliis nota beneficia videri poſſim, ſi hoc tempus gratae pietatis tacitum praeterire ſinam?

Nihil

Digitized by Google

Nihil autem eſt, meo quidem ſenſu, magis inquietum, quam animus, reprimens identidem et cohibens pietatis magnae, et in adſpectum hominum prodire geſtientis, ſenſum: qua emiſſa etiam onere quodam ſibi levatus videtur. Sed ita vincat pietas, vt memor ſit modeſtiae Viri, quae nec ipſa ad laudem referebat bene facta, nec ab aliis referri volebat: praeſertim cum etiam laus domeſtica minus fidei habitura videatur. Itaque nihil aliud faciam, quam vt imaginem vitae, ingenii, animique vtcunque adumbrem, laudes iis praedicandas relinquam, qui earum teſtes ac ſpectatores fuere: fuere autem et tam illuſtres et tam multi, vt laus Viri nec teſte nec praedicatore domeſtico indigere videatur.

Patriam habuit Erfurtum, in qua vrbe avus Io. Chriſtophorus, Scholae ad D. Iohannis aedem cum laude praefuit: Pater autem, Zacharias Bernardus, primo cauſſis dextre agendis, deinde litteris Fiſci Electoralis, Secretarii nomine, cum fide tractandis, claruit. Erat Pater tum rerum ceterarum, quas ageret, curioſus, tum pietatis in Deum integrae et efficacis amantiſſimus, eiusque ſenſum amoremque ante omnia inſpirare tenero filii animo, dictis, factis, diſciplina, exemplis cupiebat. Itaque primum Sacris Chriſti initiando teſtes ſponſoresque dedit Io. Erneſtum Tenzelium, Conſiliarium Moguntinae in Vrbe Erfurtenſi Curiae, ICti non religioſi et ſancti minus quam eruditi inſigne exemplum, et Auguſtum Hermannum Frankium, qui tum ibi in aede D. Ioannis ſacra faciebat, poſt doctrina, pietate, et prudentia illuſtravit non modo Halas Saxonicas, ſed etiam rem Chriſtianam vniverſam egregie adiuvit. Ita filium, ſive Theologiae ſiue Iuris ſtudium ſequeretur, habiturum ſciebat, cuius non magis doctrinam aemularetur, quam ſanctitatem imitaretur. Deinde non modo aliis eum Chriſtianae doctrinae et litterarum elementis erudiendum dedit, quod faciunt vulgo, ſed ipſe etiam ad veram pietatem integre colendam adduxit. Narrabat ſaepe ac libenter Vir beatus de

diſciplina paterna, cuius nullam partem magis laudabat, grataque memoria proſequebatur, quam inſtitutum precum faciendarum, librorumque ſacrorum patre coram legendorum per horas a ſcholaſticis exercitationibus vacuas, quas alii aequales ludendo perderent: quo ſe non modo integrum ſervatum credebat ab corruptelis, quae ab contagione improborum et levitate aequalium venire ſolerent, ſed etiam ad Deum integro et vero animo colendum adductum gaudebat. Hac tam pia et ſalubri diſciplina cum ad ſextum decimum annum vſus eſſet, repentina ex acuta febri morte patrem amiſit. Quam iacturam, cum per ſe graviſſima eſſet, aggravavit inopinatum et grave rei familiaris vniverſae periculum. Etenim Fiſcus Electoralis repetebat rationes nondum relatas pecuniarum, quibus cogendis pater praefuerat, cum pecunia ipſa, quae nuspiam reperiebatur. Ea erat ſumma grandis, atque haud paullo maior, quam vniverſa pecunia paterna. In his anguſtiis, cum dies prope adeſſet, qua die bona parentis in fiſcum redigerentur, narrabat, ſibi, ſollicitudine et aegritudine feſſo, per ſomnum oblatam eſſe ſpeciem patris, deducentis ſe in Conclave Fiſci, et poſt ſellam Boineburgii (is tum Electorali vice Erfurtinam rem adminiſtrabat) demonſtrantis arculam, in qua rationes cum pecunia repoſuiſſet. Expergefactus repente ab tam perſpicuo viſo, etſi laetior res erat, quam vt capere eam animus ac credere poſſet, tamen, vrgente periculo, in quo etiam incerta et inania remedia tentare nemo dubitat, inducit in animum adire Fiſcum, periculum facturus, vtrum inani ſpecie eluſus animus, an veritas ſibi demonſtrata per ſomnum eſſet. Ingreſſus conclave, quod nunquam ante viderat, percellitur ſtatim ſpecie conclavis ipſa, videns omnia ſimillima iis, quae dormiens viderat. Cum omnes admirarentur, quid ſibi iuvenis vellet: tum vero ille recta pergit ad locum in ſomnis ſibi demonſtratum, reperit ciſtam, et in ea ecce pecuniam cum rationibus omnem. Omnibus, qui aderant,

erant, admiratione rei defixis, ipſe laetus alacerque feſtinat domum, vt matrem quam primum rei tam laetae nuncio impertiat, effunditurque cum ipſa in laudes divinae benignitatis, cuius tam inſigne documentum ſibi contigiſſet. Atque hoc illi veluti pignus fuit providentiae divinae, quam per omnem vitam mirifice benignam habuit, et vero etiam incitamentum pietatis in Deum augendae acerrimum, cum nec oblivio vlla rei illius memoriam ex animo delere poſſet, nec memoria eius ſine ſenſu laeto et grato adverſus Deum tangeret animum.

Septimum decimum annum agebat, cum iuri dicundo praeficeretur apud Cohortem, quae arci Petrinae prope Erfurtum praeſidet. Ea erat opinio ingenii atque doctrinae, vt, qua aetate alii ad ius diſcendum admitti ſolent, ea ipſe ad ius dicundum vocaretur. Neque enim gratiae rem dederant, ſed iudicio fecerant, qui ei hoc munus mandarant. In eo cum aliquot annos ita verſatus eſſet, vt dexteritatem fidemque omnibus probaret, vocatur ad Praefecturam iure dicundo in Denſtetina illuſtr. Lynkerorum prope Vinariam Dynaſtia. Qua ſuſcepta, non modo hoc egit, vt fide Patronis, aequitate omnibus ſatisfaceret, ſed vt etiam ius omne, Saxonicum inprimis, accuratius cognoſceret legendo, cogitando, et agendo, cum tempus omne, quod negotiis neceſſariis ſupereſſet, huic rei condonaret. Cuius ſtudii tantum fructum cepit, vt ex ea Praefectura longe longeque, quam veniſſet, doctior diſcederet. Itaque Denſtetum, per iocum, Academiam ſuam appellabat, nulliusque prope rei memoriam libentius, quam Denſteti, et temporis ibi in ſtudiis doctrinae exacti, recolebat. Nempe tum demum vere diſcimus, et accurate diſcimus, cum res agendae ſunt, cum rerum, quas nobis percepiſſe videmur, vſus venit, qui ſolus vt leges ipſas, ita legum ſcientiam vel corrigit, vel probat.

Sed cum tres annos ita exegiſſet, redit in patriam, loco oblato inter eos, quibus cauſſas agere ius eſſet in

Digitized by Google

dicasteriis principalibus, revocantibusque studiis et favore omnium, qui non modo doctrinam, et dexteritatem eius spectassent, sed etiam qui aequitatem et sanctitatem nossent: capitque Academicos Doctoris honores, scripta ac defensa erudita disputatione *de pacto circa haereditatem tertii, ignorantis, certi, bonis moribus non refragante, et tam iure naturae, quam moribus Germanorum valido.* Is annus erat eius, quod nunc agitur, seculi duodevicesimus, dies XI. Februarii.

Tum vero et documentis idoneis, et Ordinis gravissimi, multoque magis Principis iudicio constituta auctoritate scientiae, certatim vel opem eius consiliumque expetunt, qui gravem ac difficilem caussam habent, vel honores ei deferunt, qui fructum aliquem capere e dexteritate eius, prudentia, et fide cupiunt. Nam mox Senatus Civitatis eum cooptat in Ordinem suum, in quo ad Consulatum vsque pervenit: et post ill. Reinhardo, in Goettinganam Academiam evocato, successorem dat, in Consilio Ordinis Ecclesiastici. Per eandem occasionem Syndicum Civitati dedit Elector Moguntinus, et non ita multo post Comes illustrissimus Hazfeldius eum Praesidem Consilio vtrique, Civili et Ecclesiastico, in Comitatu Blankenhanensi praeposuit. Sed omnium maxime sapientiam, prudentiam, dexteritatem, fidem eius, multis et magnis rebus cognitam atque spectatam, ornavit atque illustravit, Serenissimus atque Indulgentissimus Princeps Schwarzburgicus, Henricus, vt in dignitatibus hominum spectandis prudentissimus, ita in bene meritis ornandis liberalissimus et benignissimus. Nam primum A. XLII. ei nobilitatis iura et insignia, et Comitis Consistoriani ornamenta obtulit, simulque ad sanctiora consilia in hanc vrbem vocato, tribus annis post, summa omnia contulit, Cancellarium, Consiliique Ecclesiastici Praesidem fecit, et Aerario praeposuit. Hos tantos honores, haec tanta rerum agendarum onera quomodo sustinuerit, nec est meum dicere, nec opus est praedicare.

Digitized by Google

care. Praeclare quidem ſuſtinuiſſe, ita mihi, quamquam genero, praedicare licet, vt nullius ne tacitam quidem reprehenſionem debeam reformidare: adeo perſpicue atque ſaepe et Princeps Sapientiſſimus prae ſe tulit, quantopere ſibi fides eius et opera probaretur, et quicquid eſt civium noſtrorum, ſummi atque infimi, prudentiam, aequitatem, facilitatem, humanitatemque laudaverunt. In quo ei contigit, quod haud ſcio an multis. Etenim qui ſummae rerum praeſunt, interdum res natura conſociatiſſimas, vtilitatem Principis et privatorum, opinionis errore dirimunt atque ſeiungunt. Itaque dum Principis gratiam tenere cupiunt, privatorum benivolentiam amittunt. In iure autem reddendo nullo modo fieri poteſt, vt omnibus etiam ſumma aequitas ſatisfacere poſſit: ſaepeque numero decernendum eſt contra alicuius opinionem ac voluntatem: vnde oriuntur offenſiones animorum atque voluntatum. Noſter autem, eadem Principi et privatis vtilia eſſe, nulloque diſcidio eorum rationes diſſociatas ſtatuerat, et Princeps ei contigerat, id quod in permagna felicitate ponebat, qui vtilitatem ſuam a parentium vtilitate ſeiunctam nullam agnoſceret. Itaque, qui bonis artibus gratiam Optimi Principis collegiſſet, neque enim aliis eam ineundi facultas datur, iisdem eam retinebat, et vtilitatibus eius ita ſerviebat, vt privatorum commodis nihil detraheret. Erat autem ea aequitatis et iuſtitiae opinio, vt etiam qui contra voluntatem ſuam aliquid ab eo decretum viderent, illa ipſa mitigarentur opinione, et ad animi aequitatem revocarentur: praeſertim cum admirabilis in eo eſſet facilitas et humanitas et popularitas, qua ita iis ſatisfaciebat, vt eum etiam tum amarent laudarentque.

Harum omnium virtutum, aliarumque, beneficentiae, modeſtiae, patientiae, radix erat integerrima et veterrima in Deum pietas: quippe, vt ſupra memoravimus, ab ipſis vitae initiis in animo ſata, et cum aetate confirmata, denique et ab ipſo exercitationibus pietatis

Digitized by Google

aſſiduis, et ab Deo multis maximisque beneficiis, et admirabilibus ſingularis cuiusdam adverſus ipſum providentiae documentis, alta atque nutrita. Cum eſſet, id quod inter omnes conſtat, iuris doctiſſimus atque prudentiſſimus, in bonis conſiliis capiendis promtus, in dandis fidelis, in agendis rebus feliciter efficax: tamen quicquid ipſi ob eas virtutes tributum videretur, eius nihil ſibi meritisque ſuis deberi putabat, omnia ad Dei benignitatem referebat, omnia pro donis, ex eius manu profectis, accipiebat, eaque ſibi, aliorum magis, quam ſua cauſa, data credebat. Nec aliam ob cauſſam magis gaudebat omnibus ſuis vel naturae vel fortunae bonis, quam quod iis ſibi facultas ampla data eſſet, bene de republica merendi, qua nihil maius contingere atque laetius in rebus humanis poſſet: eaque cupide et diligenter vtebatur. Pietatem caſte colebat: non dictis atque vultu oſtentabat, ſed animo fovebat, factis in vtraque fortuna proferebat. Eam porro etiam privatis exercitationibus alebat, legebatque aſſidue non modo ſacros libros, eosque inprimis, ſed etiam Lutheri, Arndii, Moshemii, Sakii, Stemleri, Viri Magnifici, aliorumque multorum, nec aliam ſuaviorem a curis negotiisque publicis recreationem vel expetebat, vel ſentiebat, quam quae talibus lectionibus contingeret. Neque modo in ſecundis rebus hanc maximam oblectationem animi habebat, ſed etiam in rebus adverſis maximum hoc lenimentum experiebatur.

Nam in tot rebus laetis, quae ei divina benignitate contigere, non caruit, praeſertim extremo vitae tempore, incommodis atque acerbitatibus. Matrimonium inierat a. XVIII. cum Maria Chriſtina Bernhardia, Viri Reverendi M. Erneſti Gottlieb Oſanni, Sacerdotis Erfurtenſis Vidua, matrona et corporis et animi dotibus ornatiſſima. Ex ea ipſe prolem nullam habebat ſuperſtitem: nam quod ex ea natum erat, mox abſtulerat mors: ſed tres ipſi liberos e priori matrimonio attulerat: quibus ille

ille educando, tuendo, ornando, animum plane paternum per omnem vitam praestitit. Hanc igitur vxorem, quacum triginta annos concordissime atque suavissime vixerat, amisit a. XLVIII. cum iam ea aetate esset, vt eius cura maxime indigeret, praesertim cum corporis, tot laboribus per tot annos exerciti, valetudo labefieri inciperet. Nam iam tum subinde tentabatur praecordiorum doloribus, qui vitae spem in longum proferre non sinerent, et maiora valetudinis incommoda ostenderent. Anno autem LV. mense Augusto, repente ita ei obscurata est oculorum acies, vt nihil praeter exiguum lucis sensum in altero oculo relinqueretur. Hoc tantum malum ille tanto animo tulit, vt nec quereretur acerbe, nec remedia anxie requireret, aut cupide optaret. Immo ille praeteritae fortunae memoria leniebat praesentis incommodum, laudans toto animo Deum, qui sibi tam per multos annos secundum vitae sine vlla offensione cursum dedisset. Sed cum nullum iucundiorem oculorum vsum habuisset, quam qui in legendis iis, quos supra commemoravimus, libris cerneretur, vicarias oculorum faciebat aures, iubens sibi praelegi, quae legere ipse cuperet. Sed maxime animum intendebat in hanc curam, vt sibi laetum a vita discessum, quantum in ipso esset, pararet: non quod tum primum ea cura tangeretur: per totam vitam hoc egerat: sed quod sibi iam nihil aliud agendum ac curandum putaret, cui finis vitae haud procul abesset. Neque enim mortis imminentis cogitationem fugiebat, aut ab adventante avertebat oculos, sed spe et votis ei occurrebat, cupiens quam primum evolare corporis vinculis, et coram intueri Deum atque salutis auctorem Iesum Christum, quem mente atque animo dudum complexus esset. Cuius voti mox compos factus est, die XXIV. Aprilis nuperi, qua die placidissime, constantissimeque obdormivit: nactus vitae exitum, qualem quisque sibi mecum contingere optet. Vixit annos LXV. et mensem vnum, cum diebus XX.

Natus enim eſt a. cIↄIↄCXCII. d. IV. Martii. Exuviae repoſitae ſunt in vrbis coemeterio, tota Civitate funus celebrante.

Salve Beata Anima, et fruere felicitate, cuius ſpe et cupiditate plena ex hac vita demigraſti. Ego vero grata et laeta memoria ſemper colam paternum Tuum in me meosque animum, et beneficia plurima et maxima, ſed multo magis, ita Te velle ſcio, pietatem Tuam in Deum et virtutes omnes, tanquam vnam veram Tui imaginem, vſque intuebor, amabo, imitabor, et ita me in Te gratiſſimum exiſtimabo, vt Tibi animo totaque vita ſimillimum praeſtitero.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA
HIERONYMI GEORGII GLOEKNERI
A. M. ET PHILOSOPHIAE PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

Qui bonas literas dextre fideliterque docent, tum alios fructus capiunt, et ad ingenii cultum, et ad animi voluptatem ita magnos, vt, si nulla alia extrinsecus praemia accesserint, tamen satis magnam mercedem laboris tulisse videantur, tum illum inprimis magnum et periucundum, quod multas fideles amicitias inveniunt, vel ornamento in rebus secundis, vel praesidio et levamento in adversis futuras. Socrates quidem, cuius sapientia in nulla alia re magis, quam in rebus humanis recte aestimandis, eluxit, hunc fructum tanti putabat, vt eum omnibus aliis praemiis, quae in docendo expeterentur, longe anteferret, et prope solum sequeretur. Nondum ea aetate contemtus hic, qui nunc est, et haec veluti vilitas invaserat sapientiae, quae intelligendo dicendoque cernitur, disciplinam; sed lautissimis stipendiis redimebatur. Sophistae, et eloquentiae magistri, operam suam singulis non minus talento Attico locabant, quae temporibus illis erat pecunia permagna. Isocrates quidem tantas pecunias fecerat ex eloquentiae praeceptis exercitationibusque, vt ei etiam invidiam ceteri, vt fit, conflarent artis illius professores, incitarentque in eum, qui, trierarchiae defugiendae caussa, actionem permutationis (ἀντίδοσιν) intenderet, et trierarchiae munus et sumtus subire cogeret. Socrates autem, quamquam in re pertenui erat, habebatque discipulos ditissimos, in his Alcibiadem,

biadem, qui quamvis mercedem vel exigenti libenter dediſſent, vel non plane recuſanti cupide obtuliſſent, hanc ſibi legem docendi ſtatuerat, vt nihil quicquam ab vllo caperet, ſatis magnam, immo maximam mercedem eſſe exiſtimans in amore eorum, qui a ſe profeciſſent. Ἐθαύμαζεν, εἴ τις ἀρετὴν ἐπαγγελλόμενος, ἀργύριον πράττοιτο, καὶ μὴ νομίζοι, τὸ μέγιστον κέρδος ἕξειν φίλον ἀγαθὸν κτησάμενος: *mirabatur, ſi quis virtutis diſciplinam profeſſus pecuniam caperet, nec putaret, maximum ſe lucrum eſſe habiturum, vero amico comparato.* Xenoph. Mem. Socr. I, 2, 6. Nam quod ei tamen Ariſtophanes in Nub. 99. obiicit pecunias a diſcipulis exactas, id vulgare in Sophiſtas convicium eſt, cuius generis alia in Nubibus ſub Socratis perſona exprobrari Sophiſtis aliis, cum in ipſo Socrate nihil tale eſſet, veteris Scholiaſtae obſervatio eſt. Quod inſtitutum viri vt eſt magni animi, ita profecto quavis demonſtratione efficacius ad intelligendum, quanti ille amicitiam veram aeſtimaverit: cum vulgus, etiam philoſophorum, eam ore tenus laudet, pro quamvis mediocri lucro, immo ſpe lucri, amicos veterrimos vendere ac prodere paratum.

Sed vt cuiuslibet doctrinae, bene fideliterque traditae, hoc praemium tribuatur, debeatur certe, nulli tamen vel ſaepius vel magis contingit, quam quae in humanitatis ſtudiis verſatur: et hanc diſciplinam eſſe omnium maxime et gratioſam, et ad benevolentiam alliciendam, amicitiasque conciliandas efficacem, videmus. *Quis eſt noſtrum,* Cicero (Planc. 33.) veriſſime ait, *liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui atque doctores, cui non locus ille mutus ipſe, ubi altus aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur?* At magiſtros doctoresque intelligit, quod in promtu eſt, vel maxime, vel ſolos eos, qui puerilem aetatem literis ad humanitatem erudierunt. Hos propemodum ſolos praeceptores noſtros appellamus: hos cum forte offeruntur, quomodo excipimus, quomodo gaudemus, quomodo benevo-

Digitized by Google

nevolentiam adverſus eos profundere geſtimus? quam non modo ad ipſis, ſed etiam liberis eorum propinquisque benefaciendum promti et parati ſumus? ipſam memoriam mortuorum iucunda memoria proſequimur. Quam multa exempla poſſemus commemorare ex doctoribus bonarum literarum, qui propter illam ipſam diſciplinam vel ad honores producti a diſcipulis, vel omnibus modis vivi mortuique culti ſunt. In hac noſtra Academia, vt nihil de Georgio Helto dicam, quo mortuo ita affectus eſt Georgius, Anhaltinus Princeps, vt ad eum, conſolandi cauſſa, ſcribere conſultum putarent Lutherus et Melanchthon: nihil de Camerario, qui ab humanitatis diſciplina floruit amicitiis ſummorum hominum: Petrus Moſellanus tam carus multis, in his Chriſtophoro Carolovicio, et Iulio Pflugio, Epiſcopo poſt Numburgenſi, ſummis viris, fuit, vt ab hoc etiam mortuus monumento in aede D. Nicolai, quod nunc etiam extat, poſito, et verſibus laudis et amoris pleniſſimis honeſtaretur.

Fallimur, an haec eſt merces, divina quadam providentia conſtituta labori, qui vel in comparanda harum literarum facultate idonea, vel in iis bene docendis exhauritur, multo ille maior profecto et moleſtior, ſed idem vtilitate, quae quidem ad rem familiarem pertineat, longe inferior eo, qui in vllo alio doctrinae genere proponitur? Invidioſum fortaſſe fuerit, noſtris id verbis docere, quae nobis in tali re deeſſe non poſſent. Magnum illum, quem ante nominavimus, Ioachimum Camerarium audiamus, cui experto credere omnes aequum eſt. Is igitur ſuum hoc ſtudium fuiſſe ſcribit, *vt, linguae graecae et latinae mediocri ſcientia acquiſita, auctores veteres legere, et quibus de rebus monumenta ſcriptorum ſuorum relinquere poſteris voluiſſent, perſpicere, et enarrare aliis liceret. Scio eſſe,* ait, *hoc parvum et humile. Sed in adipiſcendo quid temporis impendendum, et negotii ſuſcipiendum, quid perferendum moleſtiae, et ſuſtinendum oneris ſit,*

vt

Digitized by Google

vt ego periclitando comperi, ita nemini, cui recte consultum cupiam, suadere velim, vt ipse quoque experiundum sibi statuat. Quanto enim, vnum aliquod celebre quasi opificium doctrinae colere, et facere grandiorem artem, vtilius est, vel ad dignitatis vel rei familiaris incrementa, vel etiam cursum aequabilem et planum vitae —— Sed quemadmodum nemini auctores esse volumus, in hoc studium se ita immittendi, vt reditus vel difficilis vel nullus reperiatur: sic animadvertere nobis videmur, maximos et pulcherrimos fructus de eo produci aliis, et viam aperiri ad omnem doctrinae splendorem et famam. (praef. ad Notat. figur. orat. in Scriptis Apostol. A. 3.) Iam hic ipse fructus etsi merces laboris satis magna atque iucunda et est, et esse debet viro bono, qui aliena etiam vtilitate, praesertim discipulorum, eaque ad ingenii cultum pertinente, delectatur vt sua, nec pectus habet ad sensum laudis obtusum: tamen nec ita parca est benignitas divina in praemiis laborum tribuendis, nec ita imbecillitatis humanae immemor, vt intra hanc mercedem subsistat, eaque vna contentos esse cogat, nec aliis praeterea cumulet bonis humanitatis doctores, quibus vel secundae eorum res ornentur, vel adversae leventur.

Atque etiam illi ipsi, qui fidem talis praeceptoris experti sunt, nullo modo possunt ei non maxime liberales se probare velle, a quo ad illam ingenii animique liberalitatem humanitatis disciplina sunt eruditi: praesertim cum sciant, sentiantque, quantum boni sit non modo in literarum earum scientia et vsu, sed etiam in ipsa ingenii animique conformatione, quae ab earum accurata fidelique disciplina venit. Etenim si quis vel maxime ex illa disciplina ad id genus vitae venerit, in quo eae literae proprie non adhibeantur, nec habeant aliquam vtilitatem eiusmodi, quae incurrat in cuiusque vel stultissimi oculos, faciatque, vt in eo plane necessariae videantur: tamen in omnibus eius sermonibus, scriptisque cuiuscunque generis, atque etiam in factis, apparet atque extat

illa

illa ingenii elegans a literarum elegantia et humanitate conformatio et venuſtas. Vt qui commode ſaltare didicerunt, in ſtatu, in ſeſſione, in inceſſu, non vtuntur illi quidem artificio ſaltandi: ſed ipſe corporis habitus ac motus indicat, didicerint ne ſaltare nec ne, habetque aliquam ad adſpectum gratiam: ſic in omnibus hominis docti actionibus, ſive diſſerat de parte aliqua doctrinae, ſive ſcribat aliquid, etiamſi proprie non vſurpat literarum humaniorum ſcientiam, tamen facile animadvertitur, vtrum tantummodo in eius doctrinae velut opificio ſit iactatus, an ad eam humanitatis ſtudiis inſtructum perpolitumque ingenium attulerit. Quodſi vero etiam rudes earum literarum ſentire hoc poſſunt, et cum ſuavitate aliqua ſentiunt fuſam illam per omnia et incurrentem in ſenſus elegantiam: quanto magis eam ſentiant neceſſe eſt illi ipſi, a quorum ea ingenio fluxit, et cum gratia quadam admoneantur eius, a quo eam acceptam tenent? Quid? ſi quis ex ea diſciplina retulit pectus refertum pulcherrimis ſapientiae interioris praeceptis, et animum ſupra vulgares animas elatum, qui nec capiatur, nec terreatur vulgarium de bonis malisque rebus opinionum ludibriis? Quid? ſi feſſus munerum laboribus et curis, ſe velut e tempeſtate in portum, ita ad illos ſuos priſtinos amores retulerit, eorumque humaniſſima ſaluberrimaque ſuavitate recreetur? Non putamus meminiſſe eius, per quem guſtu huius ſuavitatis eſt imbutus, per quem ei aditus ad hunc portum factus eſt? Quam multos ſaepe audivimus, commemorare ſolitos, ex iis, qui a ſtudiis Academicis ad negotioſum aliquod vitae genus eſſent delati, in quo doctrinae parum aut nihil loci eſſet, cum dicerent, hunc ſibi fructum temporis illius vel vnum reliquum eſſe, vel maximum et iucundiſſimum, quod humanitatis ſtudiis ad minuenda et obruenda vitae ſuae faſtidia vti poſſent, eorumque ſe quam ſaepiſſime meminiſſe atque libentiſſime, a quibus ad humanitatem eruditi eſſent?

Hunc

Digitized by Google

Hunc igitur disciplinae humanioris fructum, in multis aliis, inprimis iucundum, et capiebat, et libenter praedicabat Gloeknerus noster, Vir eruditissimus. Cum enim in hanc Academiam attulisset egregiam humaniorum literarum scientiam, eamque apud nos, audiendis earum doctoribus, mirifice auxisset, primum in domos amplissimas receptus est, vt erudiret graecis latinisque literis adolescentes, deinde a multis, etiam nobilissimis iuvenibus expetita est eius disciplina. Hic ille doctrinam, fidem, dexteritatemque ita probavit, vt omnibus esset vehementer carus, dignusque videretur, quem non modo tum, cum eum praeceptorem humanitatis haberent, sed etiam postea omni benevolentiae genere ac significatione prosequerentur. In quo genere maxime solebat memorare et laudare Domus Wagneriae memorandam sane liberalitatem, ipsiusque Andr. Wagneri, Viri Excellentissimi, cui comes olim adiutorque studiorum elegantiorum fuerat; qua ille ita fruebatur, vt ibi tanquam domi suae, et apud Parentes suos esset, in qua etiam vitae finem habuit. Quam rem ille cum aliis de caussis in magna parte felicitatis numerabat, tum quod perfugium habebat in adversis, et cum esset corpore imbecillior, infestareturque subinde ab hypochondriorum permolesto illo, et animum quoque tentante morbo, habebat, quorum alloquio, humanitate recrearetur et confirmaretur. In quo quantus sit fructus amicitiae, magis sentitur, quam intelligitur, estque omnium ille quidem minime optabilis, sed, cum vsus venit, omnium maxime gratus. Ipse autem humanitate, virtute, et omni officio ita sustentabat amicitias, vt in dies fierent firmiores, mortuusque omnibus, quorum benevolentia et amicitia vsus est, magnum reliquit desiderium sui.

Natus est Fribergae in Hermunduris a. MDCCXV. patre Christophoro, matre Anna Sophia Grunbekia. Patrem, qui in suburbio Fribergensi, Catechetae nomine, pueris elementa Christianae doctrinae et literarum tradebat,

tradebat, in prima pueritia amisit: matrem, quae viduitatis aerumnosae maximum solatium habuit ipsum, superstitem reliquit. A morte patris in Gymnasii Fribergensis disciplinam traditus, septem annis sub magistris eius Mullero, Hassio, Luthero, Harzbachio, Beiero ita meruit, vt omnes partes discipuli boni impleret, pietate in Deum, studio literarum, modestia cedens condiscipulorum nemini. Itaque valde benevolis vsus est, cum praeceptoribus, tum aliis, in primis Waegero, quo sponsore initiatus sacris Christianis fuerat, sacerdote in ea vrbe, et aliis virtutibus, et vero etiam beneficentia probatissimo, a quo multis se beneficiis affectum praedicabat. Ex eo Gymnasio cum luculentis testimoniis praeceptorum dimissus, cum venisset in hanc Academiam, annum agens vicesimum, contulit se ad doctores earum artium, quibus studium suum eo animo addixerat, vt non vulgari scientia contentus esset, sed vt accuratam et copiosam expeteret. Itaque philosophiam et mathesin, historiam, literas hebraicas et humaniores didicit, magistris Wincle-ro, Ioechero, Weissio, Hebenstreitio, atque ita bene praeparatus, Theologiam, Pfeiffero, Weissio, Wollio, et Tellero: quibus omnibus assiduitatem et studium audiendi abunde probavit. Sed audiendi diligentiae prudenter adiunxit exercitationum in omni genere industriam, declamans saepe, et disputans super philosophia et theologia, apud Winclerum et Hebenstreitium. His agendis cum quatuor annos exegisset, contulit se Delitium, in hospitium Strengii, sacrorum in eo oppido Antistitis: vnde non ita multo post ad nos reversus, egregiam operam navavit studiis Andreae Wagneri, nunc ICti, Regii Consiliarii et Praefecti iure dicundo in hac Vrbe, Viri Excellentissimi *), de quo supra memoravimus. Inde in domum

*) Iam per plures annos Dresdae Ser. Principi Elect. a consiliis intimis Fisci, Viri, meritis, virtute, doctrina maxime venerandi.

domum Romani Telleri, τȣ̃ μακαρίτȣ, receptus, et ſtudiis filiorum praefuit magna cum fide et pari ſucceſſu, et patrem adiuvit, cum aliis in laboribus, tum in Opere Biblico, in quo tum laborabat, cuius etiam alteri Volumini, morte illius praematura deſtituto, praefatus eſt: fuitque Viro praeclaro, et longiori vita digniſſimo, inprimis probatus et carus. Sed illi Viro nemo carus eſſe poterat, niſi qui multis virtutibus, inprimis illis lenioribus et placatioribus, hoc eſt, ſuis, eſſet ornatiſſimus. Inter haec ſaepe etiam in publicum protulit ingenium et doctrinam, vel defendens pro cathedra aliorum Exercitationes, vt Taubneri, Gymnaſii Laubanenſis nuper Rectoris, *de latine germaniceque cogitandi diſcrimine*, vt Ioachimi, A. M. Regii nunc Halis Praefecti iure dicundo, *de recta legis naturae concipiendae ratione:* vel ſuas ipſe diſceptans, vt a. XLV. eruditam illam *de Potamonis Alexandrini Philoſophia Eclectica*, *recentiorum Platonicorum diſciplinae admodum diſſimili:* denique ſcribens de argumentis vtilibus: ſed maxime lectionibus Academicis habendis. Nam honores Magiſtri adeptus, ſtatim ab legitima diſputatione de *Potamone*, ſcholas aperuit literarum graecarum et latinarum, philoſophiae, et philologiae ſacrae: in quibus non modo perſpicuitate, ἀκριβείᾳ, copia doctrinae ſatisfecit auditoribus, ſed eos etiam modeſtia iudicandi, pietatis et virtutis ſenſu proferendo cepit. Per haec cum cognitus eſſet bene multis, ſubinde expetitus eſt, vt operam ſuam erudiendae ſcholaſticae iuventuti locaret: ſed imbecillitate corporis, quae laborem ſcholaſticae provinciae vix ferret, deterritus, maluit tenuiori conditione in Academia vivere, quam oneri tali ſuccumbere. Neque vel ſic defuit Viro optimo, vnde honeſte poſſet vivere, nacto diſcipulos liberales et gratos, et deſideria intra anguſtos limites continere docto. Atque etiam praeter illa ornamenta, quae ei ab amicitia et benevolentia multorum contigerant, tanto maiora illa et gratiora bono viro, quanto veriora, acceſſerat

ſerat aliud a Profeſſione Philoſophiae, quam ei nulla alia niſi dignitatis ſuffragatio impetravit, ante annos quatuor. Eam adiit oratione diſerta, *de Philoſophiae noxis ab geometricae methodi abuſu*: cui erudita diſputatiuncula *de Wetſtenianae ἑρμηνείας in N. T. vitiis* proluſit. Sed ante ediderat alia quaedam probabilia doctrinae ſpecimina: vt, *de Socratico diſputandi genere*, et *de libertate Dei, adverſus recentiores quosdam Philoſophos*, Epiſtolas. Etiam Calmeti Lexicon Biblicum e Francico fecit Germanicum, adſperſis ſubinde animadverſionibus. Sed illum laborem et invitus ſuſceperat, et haud libenter abſolvit: ſaepeque aiebat, id oneris ſe, niſi domeſticae rationes tum coegiſſent, ſubiturum nunquam fuiſſe. Nec fuit in eo ita ſui arbitrii ac iuris, vt ſatisfacere ſibimetipſe poſſet. Quodſi diuturnior vita contigiſſet viro docto et laborioſo, pluribus haud dubie et luculentioribus documentis doctrinae inclaruiſſet. Sed divina providentia malebat eum, vitae huius moleſtiis liberatum, ad melioris vitae gaudia traducere. Qui tranſitus ei repente, et ſine vlla doloris acerbitate contigit. Nam a. d. V. Febr. hora XI. antemeridiana, inter docendum, eum oppreſſit imbecillitas tanta, vt docendi finem facere cogeretur. Ibi, dum e diaeta ad liberiorem aerem hauriendum prodit, ἀποπληξία ſubito corripitur. Arceſſitus advolat D. Heynius, V. C. cuius et arte felici, et amicitia fideli atque iucunda vſus erat, vt opem in repentino malo ferret. Sed impetus ille totum corpus pari vi oppreſſerat, nec locus auxilio humano dabatur. Itaque paucis horis poſt exſpiravit.

In eo multarum rerum optimarum exemplum egregium perdidimus, doctrinae modeſtae, philoſophiae religioſae, religionis caſtae et efficacis. Amicis fide ſatisfaciebat, ſuavitate placebat. Nihil diligentius cavebat, quam ne quem offenderet, quem nollet: nolebat autem quemquam: nihil facilius conſequebatur, quam vt gratus et carus eſſet, quibus vellet. In magna corporis imbecillitate nunquam patientia deſiderata eſt, nunquam animo

Digitized by Google

mo tranquillitas, ne hilaritas quidem defuit. Sapientia, in primis caeleſtis illa, non modo ſenſum malorum hebetaverat, ſed etiam rerum divinarum et pulcherrimarum ſenſu ſuaviſſimo obruerat. Cuius rei multo maior in mortuo admiratio, quam in vivo laus fuit: cum, aperto cadavere, intellectum eſt, Virum optimum nunquam ſpiritum ducere aliter potuiſſe, niſi vt omnia thoracis abdominisque viſcera pariter magna vi attollerentur. Nam vnum quodque vicino, omnia inter ſe, velut in vnum corpus concreverant, nec reperiebatur, quod naturalem ſitum obtineret, nullum inteſtinorum volumen ſecretum a reliquis erat. In quo vt vix intelligi poteſt, quomodo alimenta digeri, et in ſuccum et ſanguinem, aptum alendo corpori, verti potuerint, ita illud in promtu eſt, quam moleſtum Vir optimus traxerit ſpiritum, quam plenam aerumnarum dolorumque vitam omnem habuerit: cum ille interea tranquillitatem, ſaepe etiam hilaritatem vultu atque ſermonibus eam praeferret, quae vix aliquam eius miſeriae ſuſpicionem relinquerent. Felices, quos ſapientia, fides in Chriſtum, et virtus ita non modo adverſus omnia mala fragilis huius corpuſculi atque vitae obduravit, ſed etiam dulcedine ſua implevit! Felicem vero Gleekneri animam, quae ex tam miſero domicilio in ſedes eas translata eſt, vbi libera ab omni malorum contagione, pura et liquida laetitia fruitur! Quam ei nobiſcum ita gratulamini, Cariſſimi Cives, vt virtute viri imitanda ad eandem adſpiretis.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA *)

GOTTHELF AVGVSTI GRAFII

CONSISTORII PRINCIPALIS IN VRBE SONDERHVSANA ADSESSORIS ECCLESIAE PASTORIS ET ECCLESIARVM PER PRINCIPATVM SONDERSHVSANVM SVPERINTENDENTIS.

Si quis Theologi imaginem oratione instituat exprimere, quae omnes vna virtutes, eo dignas nomine, contineat, eamque e vivo exemplo cupiat ducere, non minus profecto, quam Zeuxis ille apud Ciceronem pictor, in perfectae pulcritudinis muliebris specie effingenda, necesse habeat plures intueri, e quibus partes perfectionis illius collectas in vnum coniiciat. Nam cum omnia humana, et quae ab natura, quamquam solertissima artifice, proficiscuntur, et quae humana cura comparantur, absint longe a perfectionis verae, atque expletae partibus omnibus, fastigio: tum vero quaedam de posteriori genere adeo multis et magnis rebus mista et temperata sunt, vt earum vix numerum inire cogitando, nedum omnes complecti agendo et parando liceat. In hoc autem genere esse eam, quae Theologia dicitur, ita intelligit quisque facillime, vt eius naturam maxime cognitam habet atque perspectam. Nam primum, quibus rebus ea scientia perfecte tenetur, eae tam magnae tamque multae, ac prope infinitae sunt, vt eas vix cuiusquam aut ingenium complecti omnes, aut industria persequi,

 aut

*) Scripta est haec memoria nomine cognatorum defuncti, qui tum erant Sonderhusae.



aut aetas assequi posse videatur. Ipsius autem ea est, et ab auctore suo, et ab argumento sanctitas, vt, in quo ea insit, ab eo sanctitas exempli ac vitae postuletur ea, quae humanae imbecillitatis modum longe supergrediatur; quod sanctitas disciplinae, vitae morumque non modo impuritate, sed etiam negligentia et levitate quacunque, commaculari et obscurari videtur. In quo multo maior difficultas proponitur, quam in superiori. Nam quae in scientia comparanda obiiciuntur difficultates, in iis superandis adiuvatur ingenium humanum, vel a pulcritudine et suavitate rerum percipiendarum, vel a laudis et gloriae, vtilitatis denique spe et cupiditate, adiutricibus rerum omnium efficacissimis: at ab sanctitatis severitate, non modo insita eius gravitate, sed etiam ipsa naturae nostrae pigritia quadam retardamur. Atque haec rei magnitudo et difficultas facit, vt, quo quisque aequior est, eo minus perfectionem summam illam in Theologo requirat, sed, qui plurima habet, quibus ea perfectio continetur, vel in scientiae magnitudine, vel in vitae sanctitate, eum non modo admiretur, sed etiam amet, et perfectionis honore ac laude adficiat.

Ex eo genere nuper habuimus in hac Vrbe Virum, et hac de causa, et munerum publicorum gravitate, senectute denique ipsa summe Venerabilem atque Excellentissimum, Gotthelf Augustum Grafium, Sacrorum Antistitem Primarium, et Dioecefeos nostrae Superintendentem, Consistorii denique Principalis Adsessorem. Nam, vt de doctrina primum dicamus, quae pars est scientiae eius, quam Theologi profitentur, quam ille non attigerit? quae ars, in qua vel praesidium Theologiae, vel ornamentum inest, quam non tenuerit supra mediocritatem? Callebat egregie literas graecas et hebraicas: philosophiae scientiam iam adolescens luculentis speciminibus probaverat: partium Theologiae omnium a clarissimis doctoribus olim acceptam scientiam lectionibus assiduis meditationibusque augebat indies: nec vspiam aliquid a prae-

Digitized by Google

praeclaris Theologis ſcriptum prodierat, nec modo a noſtris, ſed etiam externis, quod ille non cognoſcere ſtuderet, cuius cognoſcendi copiam non facile conſequeretur. Nam etiam amicitias habebat multas cum doctiſſimis viris, contractas in iuventute, et per occaſionem ſacerdotii Genevenſis, quas aleret epiſtolis aſſidue ſcribendis, vt ab iis cognoſceret, ſi quid exiiſſet alicubi, quod ſua referret ſcire: et callebat linguas plures, per quas poſſet intelligere, quicquid quocunque genere ſermonis ſcriptum eſſet. Et erat incredibilis aviditas cognoſcendi, quid in Academiis clarioribus, quid quacunque in parte Eccleſiae Chriſtianae ageretur. Reperiebat autem hoc facilius amicos tales, quod in eo erat plurimum humanitatis atque officii, et inſtitutas amicitias colebat ſumma fide atque integritate. Sed illam tam accuratam, elegantem, et copioſam doctrinam non ad vanitatem et oſtentationem referebat, ſed ad honeſtam ingenii et animi oblectationem, inprimisque ad vſum Eccleſiae. Concionabatur enim ita, vt non modo plebi perſpicuitate docendi, et gravitate cohortandi ſerviret, ſed etiam ceteris, delectu rerum exquiſitiori, varietate et copia, orationis denique ipſius ſimplici elegantia, ita temperans omnia, vt omnibus ſatisfieret. Itaque, quo tempore Genevae ſacra faciebat, ad eum audiendum veniebant non modo hi, quorum cauſa proprie concionabatur, ſed etiam externi, cupientes et ipſi aliquem fructum capere ex eius pia doctrina et eloquentia. Nec minus probatus eſt, cum Gotham evocatus, in has terras Geneva rediſſet: cuius rei teſtimonia cum multa commemorare liceat, vnum hoc ſatis erit ad fidem, quod a Gunthero, Sapientiſſimo Principe, delectus eſt, ad id munus, quod in hac vrbe ad extremum vsque ſuſtinuit. Quod enim aliud maius teſtimonium eſſe poteſt illius Principis iudicio? de quo B. Reinhardus, cui Graſius ſuffectus eſt, Theologus excellentis doctrinae, dicere ſolebat, nunquam ſe acrius examen doctrinae ſubiiſſe,

Digitized by Google

quam in primo ſermone, quem ſecum Guntherus habuiſſet. Mores autem Viri qui fuerint, quae vita, teſtes ſunt omnes Civitates, in quibus operam Eccleſiae Chriſtianae navavit. Genevae quanto in honore fuerit, quam carus non modo ſuis, ſed etiam aliis, poſtea videbimus: in hac autem vrbe quis eſt, qui eum, non fateatur, non exempli minus ſanctitate, quam doctrinae claritate venerabilem fuiſſe. Pietas erat integra et vera, ſed quae agendo potius, quam dicendo ſe oſtenderet: candor exempli antiqui: nihil ficti, nihil ſimulati: modeſtia et humanitas adverſus ſummos et infimos: rerum humanarum omnium veriſſimus contemtus: nec appetebat divitias, nec amiſſas lugebat. Animi mira inerat conſtantia, et tranquillitas. In omni vita gravitas, temperata eleganti humanitate: in conſuetudine et ſermone familiari hilaritas non abhorrens a perſonae, quam ſuſtinebat, dignitate.

Haec tanta virtus quomodo nata, quomodo adoleverit, quem totius vitae curſum habuerit, non alienum erit breviter commemorare. Patriam igitur habuit Fribergam in Hermunduris, patrem Ioannem, Gymnaſii in ea vrbe per multos annos Con-Rectorem, egregie meritum, matrem autem Dorotheam Sophiam, Andreae Kuhnii, Medici Fribergenſis filiam natu maximam. Literas, quibus praeparantur ingenia puerilia ad capiendas doctrinas maiores, ita didicit in Schola patria a magiſtris, qui tum illam Scholam regebant, patre inprimis, a quo et prima literarum initia domi didicerat, vt praeceptoribus inprimis probaretur ingenium et diſcendi ſtudium, nec minus obediendi parata voluntas et vita ad omnem modeſtiam et virtutem compoſita. Ex earum autem diſciplina dimiſſus contulit ſe Lipſiam, inque diſciplinam clariſſimorum, qui tum erant, Philologorum, Philoſophorum atque Theologorum, Io. Olearii, Rechenbergii, Ittigii, Seligmanni, Gottfridi Olearii, Io. Schmidii, Cypriani, Ludovici, Starkii, quibus ingenium, ſtudium omnis praeclarae doctrinae, profectumque ipſum per exercita-

tiones

tiones disputandi, concionandique, tum privatas, tum publicas, vehementer probavit, inprimisque Gotfrido Oleario, qui eum enixe omnibus in rebus iuvabat, et ad familiares sermones de studiis doctrinae, adque Bibliothecam admittebat. Horum autem de consilio cum proferre in publicum tentaret profectus, primum aliquoties in cathedra bene stetit, defendens quae alii scripsissent, post etiam sua. Nam Baccalaureus Philosophiae creatus, aliquoties theses philosophicas pro cathedra defendit, mox Magister Philosophiae creatus a. cIↃIↃCCIII. eruditam *de Libertate* Diatriben, qua dubitationes, inprimis Lockii, eleganter dissolvit, et veram libertatem argumentis idoneis confirmat. Inde animum ad docendum appulit, coepitque explicare Philosophiam et exercere disputando, qui se magistro Philosophiam cognossent.

Sed magna plaga rebus eius iniecta est a. cIↃIↃCCVI. Saxonia per Svecos occupata, cum diffugerent Studiosi timore armorum, et vix videret, quomodo se porro tueretur. Enimvero subvenit ei tali tempore benignitas Th. Ittigii: a quo missus Stutgardiam, adscitus est in Domum Viri Illustris Io. Phil. L. Baronis e Schelliis, Dynastae praediorum Bauschlot et Stetten, S. R. Imp. Equitis, multis honoribus splendidi, praepositusque filiis duobus ad pietatem humanitatemque erudiendis. Inde, duobus annis exactis, reversurus Lipsiam, rogatur a Patrono, vt cum filiis iret comes Lausannam primum, deinde Genevam, ad extremum iter cum iis faceret per Franciam. Ita deductus a consilio, cum Schelliis proficiscitur Lausannam, consumitque ibi prope totum annum, vsus hospitio et convictu Petri Crosae, Philosophi clarissimi, cum quo post literarum commercium et amicitiam perpetuam habuit. Inde Genevam transiit: vbi cum vix tres menses egisset, rogatur a Curatoribus Sacrorum Lutheranorum, vt Germaniam peragraret, pecuniae colligendae caussa ad constituenda Sacra publica Lutheranorum Genevensium. Id negotium cum susce-

piſſet, impetrata a Schellio patre venia, relinquit iuvenes, Lauſannam reductos, accingitque ſe itineri. Sed illud conſilium irritum fuit. Nam cum pacis conſilia, quae tum agebantur, ad nihilum rediſſent, graſſarenturque per Germaniam bella pariter atque peſtilentia, apparebat totum illud iter parum fructuoſum nec magis tutum fore. Itaque renunciat conditionem, neque adverſantibus, neque querentibus quibus addixerat operam ſuam: repetitoque priſtino conſilio redeundi in patriam, profectus Geneva, per Friburgum, Bernam, Baſileam, vbi Bibliothecam publicam, et Sam. Werenfelſium, Theologum clariſſimum viſit, Schafhuſium denique, venit Stutgardiam, inde denique, cumulatus beneficiis a vetere hoſpite, per Noribergam redit Lipſiam: qua tamen tum ſtatim altero die poſt relicta, Fribergam contendit, feſtinans videre parentes fratresque, quorum flagrantiſſimis deſideriis expectabatur. Exſatiatus eorum adſpectu, ſermone, amore, excurrit Lipſiam, quo habebat mandata a Schellio, et ipſe cupiebat convenire patronos et amicos ſuos.

Redux Fribergam, paucis diebus poſt accipit nuncium de morte M. Antonii Schulzii, qui Genevae ſacra in Lutheranorum coetu fecerat, cui ſucceſſorem eum deſtinabant Curatores. Oblata ei eſt conditio primum per Lehmannum, Sacrorum Fribergenſium tum Antiſtitem, mox ab ipſo Ordine Theologorum Lipſienſium, quibus poteſtas data erat a Curatoribus, ei hoc ſacerdotium deferendi. Cum res conveniſſet, menſe poſt accipit literas a Curatoribus, quibus ei ſacerdotium rite mandatur. Itaque mox, editis legitimis in Conſiſtorio Lipſienſi ſpeciminibus, conſecratus rite et inauguratus, abit Fribergam, vt ſuis vale diceret: inde mox iter ingreſſus venit Genevam a. d. III. Kal. Febr. A. C. cIↄIↄccxI. Adiit ſacerdotium Dominica Septuageſimae, concionatus ſuper 2. Theſſ. III, 3. 4. 5. magna cum congratulatione omnium, qui Virum per ſuperiorem commemorationem cogno-

cognoverant, inprimis Curatorum, qui in eo non modo doctrinam parem tali loco, ſed etiam virtutes omnes ineſſe iudicarant, quibus opus eſſet ei, qui et ſuis ſatisfacere, et ceteris non diſplicere vellet. In quo eorum ſpei eventus pleniſſime reſpondit. Praefuit enim illi ſacerdotio per duodecim annos, non modo magna cum dignitate, ſed etiam gratia apud omnes, propterea, quod doctrina pariter atque exemplo inſignem ſe faciebat, et humanitate modeſtiaque influeret in animos omnium. Primores quidem reipublicae Genevenſis eum, quoad ibi fuit, omni honoris genere ornarunt, quod haberi tali viro poſſet, et ipſi Theologi eum in oculis tulere, in his, qui tum longe princeps erat, Io. Alphonſus Turretinus, magnae et elegantis doctrinae vir, idemque moderatione clarus, qui eum etiam ſibi convictorem eſſe cupiit: adeo eius conſuetudine familiari delectabatur. Quo magis doluere omnes, cum ab eo ſacerdotio decederet, vix alium ſperantes ſibi contingere poſſe, qui eius virtutes aequaret. In quo dolore certatim eum ornare ſignificationibus honeſtiſſimis Ordines omnes ſtuduerunt. Cum concionaretur vltimum in coetu ſuo, miſit Senatus Ampl. Syndicum Primarium Tronchinum, qui ſua vice adeſſet, ipſumque poſt ornatiſſimis verbis Duci Gothano commendavit: Theologorum autem et ſacerdotum Collegium teſtimonium dedit ſui de eo iudicii honorificentiſſime ſcriptum. Atque etiam poſt principes illius civitatis viri et ſaepe per literas humaniſſime ſcriptas declararunt, quam iucunda ſibi eſſet, omnibus de cauſis, eius memoria. Abiit autem Geneva, ad Sacerdotium in aula Ducis Gothani obeundum. Etenim egerat hoc Grafius conſilio prudenti, feliciterque perfecerat, vt Coetus Lutheranorum Genevenſis acciperetur in clientelam Ducis Gothani. Is tum erat Fridericus II. Princeps Sacrorum puriorum et amantiſſimus, et tuendorum cupidiſſimus, idemque omnium bonarum literarum Stator tum vnicus. Huic ergo cum per eam cauſam prudenter tractatam inno-

innotuiſſet (etenim eius rei cauſa ipſe a. cIↄIↄccxx. Gotham ierat, et difficultates, quae a Genevenſibus movebantur, de medio tandem ſuſtulerat,) haberetque apud eum laudatores virtutum ſuarum plurimos, in his graviſſimum Erneſtum Solomonem Cyprianum, qui apud Principem talem, propter excellentem doctrinam et virtutem, gratioſus erat inprimis, placuit Principi optimo duobus annis poſt, eum ad ſe evocare, eiusque vti opera in ſacris aulicis, primum Diaconi, anno poſt Concionatoris nomine, venturusque erat inde ad maiora ſacerdotia, ſi in ea Vrbe manſiſſet. Nam Principi probabatur Viri opera, et nemo erat, quin cognoſceret ac plurimi faceret eius doctrinam, virtutem et vero etiam in omni vita elegantiam. Sed aliter viſum erat Deo, qui hanc Vrbem ei deſtinaverat, in qua Eccleſiae ſuae operam navaret. Venit autem huc (a. cIcIↄccxxxII.) vocatu Celſiſſimi Principis, Guntheri, vt ſupra diximus, cui ad extremum vsque probatus fuit, nec minus Fratri eius Celſiſſimo Henrico, qui poſt illum has terras rexit, Nepoti Sereniſſimo, Chriſtiano Gunthero, qui nuper feliciſſimis auſpiciis rerum Schwarzburgicarum regimen ſuſcepit, vniverſae denique Celſiſſimae Domui Principali. Vniverſa quidem Civitas, atque Dioeceſis, cui praefuit, eum, quoad vixit, amavit, magni fecit, et ad extremum, etiam propter ſenectutis reverentiam, vt Patrem coluit. Quod ei merito contigit. Nam, vt ceteras virtutes hic mittamus, de quibus ante dictum eſt, in omnibus muneris partibus ſumma cum dexteritate et fide verſabatur, apparebatque omnibus in rebus animus officii conſervandi cupidiſſimus, et eorum, qui fidei eius crediti eſſent, aut quibuscum aliquid muneris cauſa ageret, amantiſſimus, nec vlli rei, praeter impietatem, inimicus.

Inter curas publicas adiunxit etiam animum ad matrimonium, quod iniit Gothae a. cIcIↄccxxvI. d. XII. Febr. cum matrona pia et pluribus virtutibus ornatiſſima, Anna Eliſabetha Gravelia, quae ante in matrimonio habue-

habuerat M. Io. Christophorum Arnoldum, in Ecclesia Gothana Diaconum. Cum ea accepit privignum, Ludovicum Guil. Arnoldum, qui nunc, Doctor, Medicinam Gothae facit nobilem, et privignam, Christinam Iulianam, quam Io. Ernesto Gottl. Kochio, Viro Consultissimo, Civitatis Stolberg. Syndico, collocavit: quibus naturalis parentis adfectum, curamque per omnem vitam praestitit, consulens omni ratione eorum commodis et felicitati, gaudensque eorum bonis, ut suis. Sed et ipsi peperit prolem plurimam: filios quatuor, Salomonem Andream d. VI. Mart. a. cIcIɔccxxvii. Dan. Henricum, d. XII. Febr. a. cIɔIɔccxxix. Danielem, d. VI. Apr. a. cIɔIɔccxxx. Victorem Fridericum Guntherum, d. XXII. Apr. a. cIɔIɔccxxxv. filiam denique Augustam Mariam Catharinam, d. XXIII. Iul. a. cIɔIɔccxxxi. Ex his omnibus vna vitalis fuit filia, quam ante duos annos d. XX. Sept. feliciter collocavit Io. Guilielmo Ernesti, Consiliario Principis in Curia et Consistorio, lugentem nunc Patris, aetate quidem maturam, sed amore ac pietate acerbam sibi mortem. Dolori e morte praematura tot filiorum accessit ad extremum summus luctus e iactura vxoris, quam repente fecit a. cIɔIɔccLv. d. V. Febr. ex apoplexia. Ceterum eam iacturam tolerabiliorem fecit pietas filiae, quae summam curam, etiam inito matrimonio, adhibuit, ne quid desideraret Pater, quod tali senectuti opus esset, cum ipse vicissim eam omni indulgentia ad mortem vsque prosequeretur. De qua antequam dicamus, de vniversa valetudine Viri dicendum videtur.

In prima aetate imbecilla valetudine vsus est, cum laboraret ex hypochondriis, sive intemperantia studiorum, sive alia qua causa contracto vitio. Idque malum ita invaluerat, vt, cum in Academiam ire pararet, medici iuberent abiicere cum libris studia literarum, et precibus potius cogitationibusque iis vacare, quibus ad bene moriendum praeparetur. Cum nihilo minus abisset Lipsiam, brevi coactus est domum reverti, et, omissa studiorum

con-

contentione, curare valetudinem. Sed ea confirmata rediit Lipſiam et paullatim ita convaluit, vt proſperrima poſthaec valetudine, etiam in ipſa ſenectute vteretur; quam temperantia, labore, hilaritate animi et tranquillitate ita ſuſtentavit, vt ad ſummam ſenectutem pervenerit. Mortis cauſam habuit hanc. Tertio ante obitum die invaſit eum repente colicus dolor, cum vomitu vehementi: cui malo etſi remedia idonea opponebantur a D. Ebarto, Conſiliario et Medico Principis dexterrimo, tamen eorum vis vel magnitudine mali vel imbecillitate ſenili ſuperata eſt: acceſſitque mox inflammatio inteſtinorum aut ventriculi, quae ei mortem attulit. Senſit vir beatus adeſſe vitae finem: quem ille adeo non expavit, vt etiam gauderet, venire tandem horam, qua ex hac vitae miſeria ad beatam immortalitatem tranſitus daretur. Itaque depoſitis omnibus rerum humanarum curis, tota mente ſe convertit ad Deum, et ſervatorem ſuum Ieſum Chriſtum, cui fideliter per tot annos ſervierat, et eius manibus commendato ſpiritu placide exſpiravit.

Vixit annos octoginta et ſex dies, ſuperata vltima vitae humanae meta. Natus enim eſt d. II. Aug. a. cIↄIↄcLXXIX. defunctus vita d. VIII. Auguſti nuperi. Exuviae depoſitae ſunt d. X. Aug. in vrbis coemeterio, comitante funus magna omnium ordinum multitudine. Memoriam Viri virtutumque plurimarum ac pulcerrimarum nulla ex animo cuiusquam delebit oblivio. Quae viro beato erit tanto honeſtior, quanto magis amorem pietatis, ſtudiumque paris virtutis commovebit. Neque enim maior aut dignior honos ſanctis et virtute inſignibus viris poteſt haberi, quam virtutibus eorum imitandis.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA
FRIDERICI LEBRECHT STOLZII
I. V. DOCTORIS

Cum ius et leges ab ipſa humanitate profectae ſint, et barbaras gentes ab immanitate morum ad humanitatem vitae traduxerint: tanto quaeque gens maiori in honore non modo leges ipſas habuit, ſed etiam eos, per quos eae cauſſis iudicandis agendisque exercerentur, quanto ipſa eſſet ab humanitate cultior, et per hanc ipſam cauſſam legum amantior. Equitibus Romanis, nulla in re antea diverſis a cetera plebe, niſi militiae paullo maiori honeſtate, ſecundum in civitate et medium inter Senatum plebemque locum dedit legum per iudicia exercendarum munus: nec alia certior via ad ſummos in republica honores patuit apud Romanos, quam induſtriae, vt Cicero appellat, hoc eſt, in cauſſis forenſibus agendis fidelis et peritae adſiduitatis, quae etiam virtuti militari, apud bellicoſiſſimum populum, dignitate coepit aequari.

Sed cum ius aliud privatum et civile, aliud publicum eſſet, non quod nos dicimus, ſed quod ad cauſſas publicas pertineret, h. e. eas, in quibus ſecuritas, et ſalus cetera reipublicae verteretur: maximo in honore fuere, qui talibus cauſſis agendis, reos, capitis fortunarumque omnium periculum adituros, defenderent. Nec glorioſum fuit, in talibus cauſſis viciſſe, in quibus conſpicua rei innocentia adverſus calumniatorum improbitatem, aut incertarum ſuſpicionum levitatem, defenderetur, ſed etiam, quibus nocentes legum ſeveritati eriperentur, ſi nulla alia, niſi iuris et ingenii, vis adhiberetur. Huma-

nius

nius enim et tolerabilius videbatur, vt erat, nocentem ſubinde elabi legibus, quam innocentem fama, fortunis omnibus, vitaque privari. Itaque vt quisque vel genere nobilior, et honeſtior, vel ab ingenio et eloquentia paratior fuit, ita magis reorum capita, quam cauſſas privatas defendit, quod in iis maior ingenii gloria, maior etiam, non modo apud ipſos, qui defenderentur, ſed etiam apud populum, gratia proponeretur: et quoscunque cauſſarum agendarum induſtria ad ſumma perveniſſe traditum eſt, eos reperimus, non tam cauſſis minutis, et ad privatam civium vtilitatem pertinentibus agendis, quam reis defendendis, et a legum ſeveritate vindicandis, eo contendiſſe. Illos ipſos, qui iam principes eſſent reipublicae, Africanos, Craſſos, Antonios, Hortenſios, nihil fere aliud, niſi defendiſſe reos, conſtat, cum cauſſas ceteras prope infra ſuam dignitatem eſſe iudicarent, illis bene agendis dignitatem etiam augeri, et illuſtrari putarent. Itaque etiam, in orationibus edendis, earum maxime rationem habebant, quibus defenſiones criminum ineſſent; quod eas et exſpectari magis, et ad gloriam eſſe illuſtriores videbant. Atque ita profecto ſe res habet. In cauſſis privatis ſubtilitas magis quaedam et diligentia cernitur, in criminibus defendendis etiam ingenii vis, et copia. Ciceronis privatarum cauſſarum tres modo orationes habemus, pro Quintio, Roſcio Comoedo, et Caecina. Eae quamquam ſubtiles ſunt, et plenae artis, tamen quotus quisque legit, aut intelligere vult? Itaque ſi his, et ſimilibus, Ciceronis eloquentia et ingenium ſpectaretur, actum prope eſſet de eius tanta gloria. Ceterae omnes iudiciales, praeter Verrinas, ſunt publicarum cauſſarum defenſiones, in his regina omnium, de Quintiliani veriſſimo iudicio, Miloniana: iisque maxime fundatur ingenii Ciceroniani et eloquentiae gloria. Quid? Demoſthenis cum multae extent privatarum cauſſarum orationes diſertae, nec iniucundae lectu: tamen parum notae ſunt vulgo, nec in celebritate famae verſantur,

Digitized by Google

quod ad eas legendas nemo fere accedit etiam ex iis, qui Demoſthenis eloquentiam cognoſcere cupiunt. Principatus Demoſthenicae eloquentiae eſt in publicis, quibus vel accuſavit reos, vel defendit. Atque id res ipſa docet. Nam in cauſſis tenuibus, cuius generis ſunt privatae pleraeque, nulla eſt materia, in qua ingenium vim ſuam magnopere expromere, aut copia et ornatus oratorius locum habere poſſit: at in cauſſis publicis, et ipſa magnitudo rerum aditum dat eloquentiae ornamentis et copiis, et ingenium varie ſe oſtentare, indaganda callide veritate, ſuſpicionibusque probabiliter vel roborandis vel frangendis, poteſt. Etenim, in cauſſis talibus ſaepenumero maxime vera reperitur ſententia philoſophi, qui veritatem in profundo demerſam dixit. Non ſaepe profecto longius remota eſt veritas ab ſenſibus humanis in rebus naturalibus, quam in factis, in quibus ſaepe ſub infinita propemodum *περιστάσεων* minutarum ambiguarumque mole latet; vnde eam protrahere, et in plena luce collocare, ſane haud parvi aut parum in rebus humanis vſu triti ingenii eſt. Sicut caſus, vt ait Cicero, ſaepe ita imitatur veritatem, vt non caſus ſed veritas eſſe videatur: ſic in rebus vitae humanae error ſaepe permultas ac prope omnes veri notas induit, fallitque non vehementer cautos et acutos. Sub hac igitur tanta ſpecie veritatis latitantem, ex vix minima ſui ſe parte oſtendentem errorem, tamen videre, aut veritatem, levia admodum ſui veſtigia praebentem, deprehendere, qualis viri, quam vero paucorum putemus eſſe? cum pleroſque videamus, in ipſos oculos incurrentem vel veritatem, vel errorem, et digito demonſtratum, non cernere.

Nec vero Graecorum modo Romanorumque moribus praeclara, et laude pleniſſima fuit reorum defenſio, ſed nunc quoque praeclarum habetur, vt eſt, in eo genere bene ſolerterque verſari. Nam etſi noſtris moribus eloquentiae laus abeſt a talium defenſionum facultate, quoad ea copia et ornatu rerum verborumque cernitur,

 cete-

ceterae tamen laudes omnes, ingenii, diligentiae, fidei, humanitatis denique, salvae sunt. Qui publice de iure respondent, nullas caussas graviores putant iis, quae ad caput hominum pertinent, vt quae etiam, propter gravitatem, iis maxime committuntur, qui in caussis tractandis ac iudicandis prope consenuerunt, tantamque in iis diiudicandis diligentiam adhibent, vt nisi multis manifestisque signis rem deprehenderint, nisi prope manibus teneant facinus, decernere contra caput hominis non audeant. Recte. Grave enim est de vita hominis, etiam levissimi et contemtissimi, iudicare, quae omnium rerum humanarum maxima est, et semel amissa revocari ac restitui non potest. Quodsi Fimbria, apud Ciceronem (*Off. III.* 19.) negavit, se sponsionem iudicaturum, quae in haec verba facta esset, *ni vir bonus esset*, ne aut probatum hominem fama spoliaret, aut bonum virum iudicaret, qui non esset, quorum vtrumque esset gravissimum: quam grave putemus, iudicare de vita hominis, quae ita cum summa infamia amittatur? Enimvero si magna diligentiae atque prudentiae laus debetur his, qui tales caussas bene iudicant, profecto etiam, qui eas bene defendunt, defendendoque iudices in viam veri quodammodo deducunt, summa laude affici debebunt.

Atque in eo genere nuper apud nos inprimis valuit, Fridericus Lebrecht Stoltzius, Vir iuris Consultissimus: qui cum in omni genere caussarum, in foro agendarum, accurate feliciterque versaretur, tum inprimis se ad hoc genus caussarum dederat, in eoque multis bonam operam navavit, quorum defensio ei, vel privatim, vel publice, esset mandata. Itaque etiam in animo habuit, quae ipse in eo genere, vel ingenio, vel vsu reperisset vtilia, libro peculiari complecti, qui de modo caussarum capitalium in foro disceptandarum (*de Processu Criminali*) inscriberetur, adiunctis XXXII. Defensionum talium suarum exemplis. Sed id opus, in quo plurimum temporis consumserat, inchoatum imperfectumque reliquit, oppressus.

Digitized by Google

oppreſſus ante tempus valetudine, quae primum rerum agendarum facultatem, et non ita multo poſt ipſam vitam eripuit. Sed bene eſt, quod alia ſui virtutumque ſuarum monumenta reliquit in animis multorum, per quae memoria eius conſervaretur, cui etiam hoc Viri elogio conſulendum putavimus.

Natus eſt in villa Dioeceſeos Bornenſis, Breunsdorf, anno huius ſeculi tertio, a. d. XII. Februarii, Patre Ioanne Sigismundo, tum in illa villa ſacerdote, poſt Archidiacono Glauchavienſi et Paſtore Meranenſi, matre Anna Chriſtiana Werneria. Avus paternus fuerat Ioannes Sigismundus, Paſtor oppidi Francobergenſis, idemque Dioeceſeos Chemnicenſis Senior et Adiunctus Superintendentis, natus patre Simone Iona, Conſule Pirnenſi, qui in matrimonio habuit Mariam Eliſabetham, Ioann. Georgii Promnizii, ICti clari filiam: maternus autem, Adamus Wernerus, Diaconus Werdenſis, in Hermunduris, cui nupta fuit Sophia Werneria. Primae pueritiae praeceptores habuit, praeter parentem ipſum, M. Sigelium quendam, poſt Scholae Glauchavienſis Rectorem, M. Langium. Inde, linguarum initiis rite perceptis, miſſus eſt in ſcholam Zuiccavienſem, cui tum magna cum laude praeerant M. Vinholdus, Rector, et M. Martini, Conrector: quorum diſciplina, alterius etiam convictu, cum quatuor annos vſus eſſet, venit, de ipſorum iudicio et conſilio, in hanc Academiam, ad maiores diſciplinas percipiendas. Appulit animum primum ad Philoſophiam, quam ab Rudigero et Birnbaumio didicit, poſt ad iuris legumque ſtudium. Et iuris quidem civilis Doctores habuit Luderum Menkenium, I. Florentem Rivinum, Dunklerum; Canonici, Stiglitzium, Conr. fil. Feudalis autem ill. Bauerum. Modum cauſſarum agendarum tradidere Sigelius et Kaeſtnerus. In horum doctorum ſcholis et diſciplina cum tres annos ſummo cum ſtudio conſumſiſſet, ad cauſſarum agendarum ius aditum ſibi muniit, primum Exercitatione iuridica D.

 Koeſeliſii

Koeselisii pro Cathedra rite defendenda, deinde examen legitimum apud Iure Consultos Vitebergenses subeundo: per quae cum cognita et spectata eius dignitas esset, anno duodetricesimo huius seculi in numerum Caussidicorum adscriptus est decreto regio. Ab illo statim tempore adiit forum, coepitque caussas ita agere, vt mox opera eius a plurimis expeteretur. Quae res ei animum fecit altiora cogitandi. Itaque tertio anno post Doctoris honores petiit, et impetravit ab Ordine ICtorum Erfordiensium, qui ei luculentum iudicii sui testimonium impertivit, laudata eius et in interpretando, et in respondendo dexteritate, et scientia: quo tempore etiam Exercitationem, *de Successione Fisci*, pro Cathedra disceptavit. His honorum insignibus in hanc vrbem relatis, cum bonis artibus auxisset veterem famam, dignus habitus est, qui gener adsciscеretur a Car. Gotfr. Winklero, D. et Senatorii ordinis Viro Praetorio, cuius de vita superiori anno diximus *), collocata ei a. XL. prid. Kal. Iun. filia maiori, Ioanna Sophia, ornatissima virgine, qua cum omnem reliquam vitam, sine prole quidem, sed concordissime exegit. Tribus annis post, aditus ei regio beneficio datus est ad agendas caussas maiores in Curia Provinciali, et Consistorio: iurisdictionisque villaticae procurationes a nobilissimis equestris ordinis viris ei mandatae sunt. Per quae vt opportunitates vitae, ita labores aucti sunt, quibus corpus non nimis robustum frangeretur, et gravibus periculosisque morbis aditus patefieret. Sed citius, quam quis crediderat, incubuit mali vis, atque corpus laboribus exercitum oppressit. Nam anno LV. mense Novembri, cum febris catarrhalis eum infestaret, spesque esset depellendi periculi, mense post, repente ἀπόπληξις accessit, a cuius vi non modo corporis, sed etiam sensuum partes quaedam torpebant. Advocatus ego **) ad opem

*) v. I. A. Ernesti opuscula oratoria p. 312.
**) Loquitur Hundertmarkius Med. Doct. et illo tempore Acad. Rector, cuius nomine haec Memoria scribebatur.

Digitized by Google

opem ferendam, adhibui, quaecunque tactas malo partes fulcirent, atque excitarent, omnique ope excutere torporem membris ac sensibus tentavi. Nec successu res caruit, restituto non modo ceterarum partium, sed etiam linguae vsu, et luce reddita sensibus, hactenus, vt maxime necessariis vitae humanae partibus ipse sufficeret: eratque spes, omnia paullatim reditura ad pristinum vigorem, quae adhuc languoris aliquid a vi mali retinerent: cum ecce repente in deterius versa sunt omnia. Adorta enim est eum superioris anni mense Septembri febris quartana, coniuncta cum gravibus pectoris oppressionibus, et doloribus: accessere mense Decembri vehementes et diuturnae convulsiones, quae, cum totum corpus frangerent, et debilitarent, omnem spem vitae retinendae ademerunt. Et tamen restitere tanto malo naturalis roboris reliquiae, traxitque vitam adhuc vltra quinque hebdomadas dierum, h. e. ad XXIII. diem Ianuarii superioris anni, quo animus, diu vexatus malis corporis, evolavit ex illis molestiis ad coelestia et perpetua gaudia. Ad quae optanda, non magis malis corporis, quam ipsorum cogitatione pia et vivida, incitabatur, quae etiam assiduis sermonibus et alloquiis Stemleri nostri, sustentabatur et alebatur. Et fuerat ille per omnem vitam rerum sacrarum studiosus, amore earum imbutus mature a patre et praeceptoribus, adfueratque frequens sacris, et exercitationibus pietatis publicis, per quae sensus pietatis acuitur, et excitatur, vt tanto facilius et altius penetrare ad animum oblati sensus possent. Religiosae pietatis, vt doctrinae, documentum etiam dederat libro, vernacula lingua scripto (Lips. 1741. 8.) in quo de iurisiurandi in caussis forensibus vsu ita disputat, vt vehementer de abusu huius modi finiendarum litium, et levitate hominum atque impietate in ea re queratur, de eiusque mali remediis consultet. Quo lenius etiam ferre obitum eius debent, Vidua Viri, Matrona Ornatissima, et quibuscunque arctior aliqua ne-

Digitized by Google

cessitudo cum eo intercessit: cum in his tantis miseriis Civitatis nostrae, quantas vix ante experta est, haud paullo beatiores sint, qui placide de vita decedant, quam qui earum praesenti sensu et adspectu cruciantur. Exuviae depositae sunt, vt voluerat, in aede Paullina, cui etiam, vt templis quinque villarum, in quibus iuri dicundo praefuerat, de pecunia sua legavit, non ille quidem magnas summas: quomodo enim? qui nihil haberet, nisi quod, in mediocri fortuna, et liberali vitae genere, comparsisset ex iis, quae labore quaesisset? sed tamen, vt bona voluntas appareret grati erga ea loca animi demonstrandi, quae sibi vitae honeste agendae praesidia aliqua suppeditassent, cum multi, lautissime a patria habiti, vt ingrati hospites decedant.

Nos interea gratulemur Viro tranquillam felicitatem, quam discessu ex aerumnosa vita adeptus est, et ad eandem non modo votis, sed etiam recte et bene agendo, adspiremus. P. P. Dom. II. post Epiphan. A. C. cIↄIↄccLx.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA
AVGVSTI FRIDERICI MVLLERI
ORGANI ARISTOTELICI PROFESSORIS ORD.

Cum Patriarchis et Prophetis tribuitur in ſcripturis divinis ſenectus cum vitae ſatietate, dubium videri poteſt, vtrum id ad ſenectutis gravitatem, et vitae vltimam longitudinem, an ad expletum vivendi deſiderium, inſitum natura, referendum ſit: quorum alterum ſolam aetatis commemorationem, alterum vero etiam ſapientiae laudem haberet. Neque enim ſatietas in iſtis viris intelligi poteſt ea, quae ab incommodis vitae humanae et ſenectutis venit, et cum faſtidioſa impatientia coniuncta eſt; in qua eſt defatigatio potius, quam vera ſatietas: ſed ſancta illa et adverſus Deum grata, quae inſitae vivendi cupiditati modum ſtatuere didicit ſpe vitae melioris, et conceſſo divinitus vitae ſpatio, praeſertim longiori, contenta, ex hac vita diſcedit tanquam e convivio, in quo libenter et hilariter vſa ſit hoſpitis benignitate, ceterum, vbi tempus eſt, cum laetitia et gratiarum actione diſcedere non modo poſſit, ſed etiam geſtiat. Hanc rationem ſi quis probet ac defendere velit, magnum adiumentum habeat, non modo ab rei natura: neque enim abhorret ab iſtorum virorum ingenio et moribus, immo cum iis optime conſentit: ſed etiam ab ipſo ſatietatis verbo, quo ſcripturae ſanctae fere vtuntur, non in faſtidii aegritudine notanda, ſed in laudanda bonorum redundantia, vltra quam nihil deſideretur, in qua animus cum magna ſuavitate acquieſcat.

Digitized by Google

Haec certe eſt illa ſatietas vivendi, quam ſapientia divina et humana probat et commendat, quam intelligi voluerunt illuſtres vel ingenio vel rebus geſtis viri, cum ſe ſatis vixiſſe ſive vere, ſive animi magni ac fortis ſimulatione, dicerent. Nam ſacrae quidem literae nullam aliam vivendi ſatietatem probant, niſi quam voluntatis divinae reverentia, et acceptorum, dum viximus, bonorum laeta et grata cogitatio, adde intellectam rerum humanarum omnium vanitatem, adfert. Nec aliter eam laudant viri ſapientes, niſi remoto contemtu vitae et futurorum metu, et impatientiae taedio. Itaque eam non infortunatis propriam faciunt, ſed cum fortunatiſſimis communicant, nec ad vltimam ſenectutem amandant, ſed cum flore ipſo aetatis coniungunt. Hinc illa a veterrimis philoſophis inventa, et creberrimo philoſophorum, oratorum atque etiam poetarum vſu trita ac paene detrita ſimilitudo, ad hanc quidem rationem aptiſſima, quae vitam humanam cum convivio comparat, cui hilaris non modo bonorum perceptio, ſed etiam in fine diſceſſus conveniat. Iulius quidem Caeſar, cum annos quatuor et quinquaginta natus, ſatis diu ſe vixiſſe praedicabat, nihil triſte cogitabat, circumfluens tum maxime bonorum omnium copiis, et rerum geſtarum gloria florentiſſimus; ſed iis, quae et a fortuna accepiſſet, vel virtute paraſſet, ſe contentum, nihil deſiderare amplius ſignificabat vel ad vitam, vel ad gloriam.

In hac autem animi adfectione, ſi ſit integra et conſtans, et e diſciplina religionis verae adſcita, quanta ſit ſapientia et praeſtantia animi, facile intelligi poteſt. Ineſt enim quaedam *αὐτάρκεια*, quae nullo alio in genere rerum humanarum praeſtantior et ſapientior debet putari: ineſt fortitudo adverſus illecebras vitae, et ipſa illa potentiſſima ad vivendum invitamenta; quod genus fortitudinis ſolet eſſe difficilius ac rarius, quam quod in tolerandis moleſtiis cernitur: ineſt altitudo efferentis ſe animi ſupra res humanas, ſed ita, vt non faſtidioſe ac ſuperbe contemnat,

ſed,

Digitized by Google

ſed, vt divina dona, in honore habeat, iisque grate fruatur: ineſt denique verum et incorruptum iudicium animi, nec maligne detrahentis bonis divinis aliquid, nec opinionis et pravae cupiditatis errore adiungentis. Quodſi etiam hunc admiramur, qui ab miſeriarum et vanitatis ſenſu aut cogitatione contemtum vitae ſuſcipit, ac triſtem ſatietatem, vt ille apud Platonem Axiochus, aut apud Dionem Charidemus: multo profecto magis efferre debebimus eum, qui in ipſo fructu bonorum ſuorum, et ſenſu ſuavitatis vivendi, tamen *vt plenus vitae conviva recedit*, atque, vt Socrates praecipit apud Platonem, ſive potius, vt haud paullo certior praeceptor, Simon, facit apud Lucam, paeana canens e vita diſcedit. Haec tanta rei magnitudo facit, vt, qui talem vitae ſatietatem in aliquo agnoſcant, ſatis eum admirari non poſſint; ceteri, qui, quid in tali genere verum ſit ac fieri poſſit, ſuo animo ac ſua facultate metiuntur, eam nullo modo cadere in naturam humanam exiſtiment, et illum ſapientem, qui cum tali ſatietate de vita decedat, perſonis poeticis annumerent, ad oblectationem ingenii, non ad imitationem vitae compoſitis.

Sed nobis talis ac tantae virtutis exemplum haud ambiguum nuper contueri licuit in A. F. Mullero, Philoſopho aetatis noſtrae clariſſimo. Etenim cum ille nos, non multis ante mortem diebus, ad ſe advocaſſet, vt quaedam daret mandata, de modo funeris, et quae de pecunia ſua teſtamento conſtituiſſet, pro amicitia, quae inter nos fuiſſet, aperiret, de inſtante morte ſua ita praefabatur, vt diceret, ſibi ſpem vitae retinendae vix vllam relinqui: nec ſe eo nomine queri: paratum eſſe ad abeundum ab hac vita: eſſe hanc, ita aiebat, ordinationem divinam, vt moriendum ſit: quam recuſare, impium eſſe: rogare ſe Deum, vt laetum et tranquillum animum, quem per totam vitam cum omnibus iis, per quae ali poſſet ac conſervari, benigne conceſſiſſet, eum ſibi ad fatalem vsque horam perferre, et in illa ipſa hora liceat retinere.

Digitized by Google

Atque haec ille constantia oris atque orationis ea, quae nullam simulationis suspicionem relinqueret. Et in illo articulo etiam exui solet simulatio, cuius vtilitas nulla relinquitur, incipiuntque verae de pectore voces audiri. Quo ille tempore cepit fructum haud dubie maximum sapientiae, quae non modo de Pythagorico praecepto, debet esse commentatio mortis (μελέτη τȣ̃ θανάτȣ), sed etiam e disciplina Christi, vnius certi ac probandi bene et constanter moriendi praeceptoris. Qui enim alius maior fructus esse sapientiae potest, quam non moveri graviter in vtramque partem rebus iis, quas homines verae sapientiae expertes vel expetunt vehementius, vel expavescunt gravius, quam rerum natura et voluntas divina fert? Nec vero quisquam digne sapientiae professione moritur, nisi qui tali animo videre appropinquantem mortem, atque praesentem excipere potest. Itaque, etsi nunquam timorem mortis, praesertim magnum, probamus, tamen multo magis miramur et reprehendimus in iis, qui vitae magnam partem in studiis doctrinae et sapientiae consumsere, aut eius disciplinam exercuere, quam in ceteris, qui in rerum sensibilium ac terrenarum curis vitam exegere. Sed illam nostri in morte obeunda constantiam, non humanae modo sapientiae, sed multo magis etiam divinae fructum fuisse, satis indicavit hoc, quod eam non e necessitatis naturalis, aut communis hominum sortis, similiumque rerum cogitatione et commemoratione duxit, per quae philosophi vulgo solent timorem mortis vel depellere, vel minuere, sed a voluntate et ordinatione divina, totamque posuit in obedientiae officio, quod Deo deberetur, et vero etiam propter vitae sibi concessae longitudinem et felicitatem libentius praestaretur: quam obedientiam non esse humani ingenii, et sapientiae humanae, et res ipsa arguit, et multis locis praeclare monet Apologia Augustanae Confessionis.

Arbitramur, vnum hoc satis esse ad Virum vel digne laudandum a nobis, vel bene cognoscendum ab aliis. Nam

Digitized by Google

Nam ſummam laudem eſſe in conſtantia moriendi, praeſertim tali, ignorat nemo; cum etiam heroas, quos noſtra conſuetudo vocat, conſtet, nullam maiorem laudem videre, quam quae ab illa conſtantia veniat: et quot quantarumque virtutum comitatum habeat, ita in promptu eſt, vt omnes videant. Sed noſtrum eſt, non ex hoc velut membro totam Viri ſapientiam intelligendam relinquere, ſed totum Virum vitamque omnem ita deſcribere, vt vel in memoriam iucundam redire legendo poſſint amici veteres ac diſcipuli, vel cognoſcere minores. Hoc ergo agemus.

Natales habuit in villa (Obergraeſen) Dioeceſeos Rochlitienſis, XX. M. P. ab Vrbe noſtra, patre Io. Adamo, ſacerdote; a quo ſuſceptus eſt m. Decembri medio anni a C. n. poſt milleſimum ſexcenteſimum, quarti et octogeſimi, e Iohanna Suſanna, Io. Fromholdi, Pharmacopolae Rochlitienſis, filia. Felicitas ingenii, quae in tenerrima aetate pueri elucebat, patrem impulit, vt eum deſtinaret literis: quarum rudimenta ita celeriter arripuit, vt vix duodecim annos natus in ludo Principali, qui eſt in oppido Grimmano, vti diſciplina literarum poſſet. Ibi exactis ſex legitimis annis, cum luculento Doctorum teſtimonio miſſus eſt in Academiam Lipſienſem ad maiores diſciplinas percipiendas: e quibus philoſophiam maxime et legitimam ſcientiam ſibi delegit, in quibus diſcendis ingenium experiretur. Erat tum in vtroque genere diſciplinae, qui novaret quaedam, et in rebus ipſis, et in ratione diſſerendi, non ſine offenſione, vt fit, eorum, qui vetera, in quibus ſcilicet ipſi conſenuerant, non movenda putarent: in philoſophia quidem Andreas Rudigerus, in iure Gottlieb Gerhardus Titius. Primus eum novitate ſuae diſciplinae, inprimis Dialecticae, pellexit Rudigerus, vt eum praeter ceteros ſectaretur: planius autem et ſubtilius philoſophandi rationi adſuetum Titius, qui et ipſe philoſophabatur ad novam rationem, atque etiam in Iure civili philoſophia magis, quam

quam hiſtoria et literis vtebatur, et tum in illa ipſa diſciplina, tum in Iure Eccleſiaſtico in multis ab inveteratis opinionibus feceſſerat, ſecutus maxime novas Halenſium ICtorum de iis rebus opiniones; vt qui Chr. Thomaſii diſciplina vſus erat. Nec eum novitas illa traxit modo eo, quo etiam ſtultiſſimum quemque, ſed vt ingenia meliora ſolet, quorum ſollertia natura non modo capitur probabili novitate, cum oblata eſt, praeſertim ſi ingenii commendationem habet a ſpecie quadam philoſophandi, ſed eam etiam ipſa requirit et perſequitur.

Horum igitur diſciplinis bene penitus imbutus, animum convertit ad docendum, petito primum a. 1707. et accepto Philoſophiae Magiſterio, deinde, anno poſt, iure privatim docendi, per diſputationem publicam *de arte loquendi.* Ille ipſe annus ei fuit initium ſcholarum de philoſophia habendarum: quae quantopere, et quibus de cauſſis celebratae ſint, dicemus non ita multo poſt. Sed cum in eo genere probabilem facultatem exercitationum frequentia et aſſiduitate conſecutus eſſet, ſtatuit adiungere ſcholas iuridicas: quod fecit acceptis primum a. 1714. in Academia Erfurtenſi Doctoris honoribus ac iuribus, quorum cauſſa ſcripſerat ac defenderat pro cathedra diatribam *de rationibus legum inveſtigandis* ad l. 20. 21. π. de LL. deinde facultate iuris privatim in hac Academia docendi, per reſcriptum regium, cuius facultatis extra ordinem impetratae ab eo, qui non in hac noſtra Academia Doctor creatus eſſet, vix alterum aut tertium hoc exemplum erat. Atque ab hoc tempore ſemper vtramque diſciplinam lectionibus privatis tradidit, ſed ita, vt in Iure ſe Inſtitutorum, Pandectarum et Iuris Eccleſiaſtici finibus contineret. Et ſatis erat, quod ageret, qui vniverſam philoſophiam, pluribus die quaque horis, explicaret, et illa quoque tria adiungeret, et omnia recte et ex vtilitate diſcentium agere cuperet.

Ad eas ſcholas, praeſertim philoſophicas, quantus factus ſit concurſus aemulantium ſtudia ſapientiae, non attinet

Digitized by Google

attinet dicere, cum nemo ſit, cuius per aures ierit nomen Mulleri, Philoſophi Lipſienſis, qui non pariter acceperit de inuſitata frequentia iuvenum, qui ad eum venire diſcendi cauſſa ſolerent: nec quisquam facile, certe memoria noſtra, fuit ex eo genere doctrinae, qui eum hac in re, non dicemus, ſuperaret, ſed aequaret. Et vt illam frequentiam ei non temere contigiſſe, aut ab fraude quadam allectam confluxiſſe intelligas, ſed ſcholae Mullerianae fortunam firmis fundamentis nixam ſtetiſſe; per dimidium prope ſeculum duravit, repertique ſunt, quorum non modo patres, ſed etiam avi eo praeceptore vſi eſſent: quae fortuna non ſolet eſſe, vbi frequentiam inanis opinio, aut malae artes fecere.

Huius tam felicis diſciplinae ſero praemia publice cepit, ſed cepit tamen, poſt viginti amplius annos, per occaſionem externae conditionis, quae ei in vicina Halenſi Academia offerebatur. Nam primum Profeſſio Philoſophiae extraordinaria cum ſtipendio data eſt a. 1731. et anno poſt ordinaria Dialecticae Ariſtoteleae; quem locum mors Chriſtiani Ludovici vacuefecerat. Huius Profeſſionis initia cum aliis legitimis ſpeciminibus commendavit, tum Diſputatione pro Cathedra defenſa, *de Emigratione religionis cauſſa ſuſcipienda;* cui materiam migrationes, quae tum e Salisburgenſi Dioeceſi religionis cauſſa fiebant, ſuppeditarant. Nec in ea laudanda argumenti modo gratia valebat, ſed etiam explicationis ipſius modus; qui ab omnibus exiſtimabatur talis, vt ab nullo alio ſuculentius ea res tractata videretur. Itaque etiam germanice verſa acceſſit Schelhornii *Hiſtoriae migrationum Salisburgenſium*, quam e latina germanicam fecerat Frid. Wilh. Stubnerus, Philoſophus et Mathematicus egregius. Sed praemium illud regium mox ſecuta ſunt alia, quae erant in poteſtate Collegarum, vt locus inter Sodales Collegii Principalis minoris, vt Curatio Collegii Paullini, et Decemviratus Convictu publico curando: vt nihil dicamus de Magiſtratu Academico, et

Decanatu

Decanatu Ordinis Philoſ. quibus aliquoties, magna cum fide et dexteritate, functus eſt.

Genus Philoſophiae ſequebatur elegans, quod nullius ſe magiſtri placitis adſtringeret, ſed, quae vero ſimillima viderentur, ea probaret, quemcunque auctorem haberent. Itaque non dubitabat, in multis diſcedere a Doctore ſuo Rudigero, quem etiam perſpicuitate et ſuavitate docendi ac ſcribendi multum ſuperabat. Sed ab eo diſſentiebat, vt diſcipulum a magiſtro, philoſophum a philoſopho decet, ſine ingrati animi ſuſpicione, ſine inſectandi acerbitate, conſervataque modeſtia et amicitia vetere. Ac neſcimus, an debuerit Rudigero hoc nomine vel maxime probari hic diſcipulus, quod a magiſtro ſuo diſcedere vel auderet vel poſſet. Neque enim illud optimum genus diſcipulorum eſt, noſtro quidem ſenſu ac iudicio, quod nihil non credit magiſtro, omnia cum pulviſculo arripit. Quid enim aliud facere poteſt tardiſſimus quisque, aut quid facit? quamquam non tam credit, quam ediſcit pſittaci more et repetit. Nec aliter ab aliis, vt a Wolfio, diſſenſum, neque in lectionibus, neque in libris profitebatur, quam exponendis modeſte rationibus ſuis, omni contemtu atque odio ſecluſo. Nec erat eo ingenio, in quod acerba de opinionibus diſſenſio caderet. Alienus ab invidia, et ab ſuperbia, quae ſua ſola probari laudarique vult, quae ſola gignit illam ſcholaſticam adverſus aliorum opiniones acerbitatem, ſtudioſusque hominum et conſociationis humanae, quicquid alienum eſſet a vitae communis humanitate, inprimisque illam paedagogicam acerbitatem adverſus diſſentientes, ab ſe longe abeſſe volebat. Novam vocari philoſophiam ſuam non tam volebat aut gaudebat, quam ferebat: quippe multa ſe debere non modo praeceptori ſuo Rudigero fatebatur, ſed etiam aliis recentioris aetatis philoſophis, Carteſio, Grotio, Lockio, Leibnitio, Thomaſio, Wolfio, et aliis. Sed volebat meminiſſe, qui ita loquerentur, non modo non adeo nova eſſe pleraque, ſed

ſed etiam, quae nova eſſent, in veterum inventorum fundamentis aedificata eſſe. Atque etiam eos, qui haud dubie et de confeſſione omnium, qui aliquid intelligere et iudicare poſſent, magni Philoſophi recentioris aetatis eſſent, vt Grotium et Leibnitium, in veterum libris admodum verſatos fuiſſe, nec quemquam magnum eſſe aut fieri in philoſophia poſſe, qui non eadem via perſequenda ad eam laudem contenderet. (*T. I. Phil. praef. p.* 3. 4.) Caeterum quae de philoſophia ſive latine ſive germanice ſcripſit, etiam orationis genere commendantur, quo non ille quidem elegantiſſimo vſus eſt in vtroque genere, ſed tamen meliori, quam vulgo vtuntur, qui de philoſophia latine ſcribunt, vel germanice: illis fere ad barbariem inclinantibus, his novo quodam genere vtentibus, quod, ſi quis de ſuperiori ſeculo in vitam rediret, intelligere non poſſet.

Docebat aſſidue, multis die quaque horis; etiam in vltima ſenectute ad minimum ternis. Nec vnquam deerant, qui eius operam expeterent. Et habebat genus docendi multas illecebras: primam omnium et efficaciſſimam, perſpicuitatem ſingularem, quae paene cogeret homines intelligere, quae traderentur. Itaque qui illum non intelligeret, eum nihil intelligere poſſe, vulgo ferebant. Quoad et quoties quaeque res tradenda eſſet, vt omnium ingeniis ad percipiendum apta fieret, plane tenebat. Accedebat hilaritas quaedam in diſſerendo, non quae riſus captaret parum decore, ſed quae indicaret magiſtrum, libenter et cum propria quadam oblectatione agentem, quod ageret, et alacritatem quandam oſtentaret, qua mirifice vel tenetur ingenii iuvenilis celeritas, vel tarditas incitatur. Ea porro alacritas erat etiam in ſene tanta, vt poſt ferias legitimas ſe recreari diceret docendo, et cum ex levi corporis imbecillitate laboraret, ad lectiones, etiam contra medicorum voluntatem, tamquam ad remedium feſtinaret.

Nec

Nec vero Scholae vmbra se continuit illa praeclara Viri, in rebus inprimis philosophicis, doctrina et facultas subtiliter, perspicue, atque etiam cum gratia quadam differendi, sed etiam luci se commisit, edendis scriptis pluribus, e quibus ea facile intelligi posset. Atque vt mittam breves chartas programmatum, quae a Professoribus per vices necessario scribuntur, primum Balth. Gratiani, Hispani, *Aulicum*, germanice versum, et illustratum locupletatumque notis egregiis et merito laudatis, sub *Oraculi* assidui et domestici novo titulo, tribus voluminibus edidit a. 1715. 17. 19. octonis *). Post adiunxit animum ad conficiendum modicum Corpus Philosophiae, quo in lectionibus habendis vteretur, sed quod posset etiam vsibus servire eorum, qui philosophiae per se cognoscendae studiosi essent, legereturque ab extraneis, vt, quod philosophiae genus sectaretur, viderent, cognoscerentque, inanes esse criminationes, quae sibi exprobrarent novas et periculosas sententias. Id primum a. 1728. et sequentibus annis, per partes editum, paucos post annos, celeriter direptis exemplaribus, repetitum est (a. 1733.), sed ita, vt multis locis vel accuratius scriptum vel auctius esset. Constat opus tribus tomis, quorum vnus Dialectica et Physica, alter Metaphysica, Ethica et Politica, tertius autem Ius naturae et gentium explicat. Materia lectionum proprie est in Aphorismis; sed iis subiectae sunt omnibus notae, interdum longiores, quibus vel pars aliqua aphorismi latius explicatur, quam in scholis fieri potest, aut illustratur consensu antiquorum philosophorum, in quibus frequentissima mentio est Aristotelis, aut, quae post primam editionem contra disputata erant, ab Rudigero inprimis, diluuntur, denique opiniones contrariae multorum refelluntur. Quas si quis legerit diligenter, facile animadvertat, quanta etiam copia doctrinae et lectionis fuerit,

*) vid. Act. Erud. germ. fasc. 49. Stollii Hist. Erud. III. 5. 29.

Digitized by Google

fuerit, aptae ad exornandum philoſophiae velut aedificium: nam cetera bona iam ante commemorata ſunt. Offenſionem habuit inprimis, quod Iuris naturalis, latius dicti, quod de officiis cuiusque erga ſe et alios praecipit, principium cognoſcendi faceret vtilitatem privatam, e qua nata eſſet conſociatio humana, quae officia erga alios fundaret. Sed ille vtilitatem non defendebat eam, quam intelligunt, qui bene latine loquuntur, ſed quae eſſet in vera felicitate cuiusque, quam alii perfectionem ſui, magis metaphyſice, et minori cum offenſione, ſed eodem ſenſu dicunt. Ceterum officia, quae ſibi quisque debet, in Ethicis tractat, ea autem, quae aliis debemus, ſola in iure naturae explicat, quod anguſtius dicitur. In quo fruſtra accuſabatur a Rudigero (*v. P. III. p.* 64.) quod eam ſibi rationem iuris naturalis tranctandi ſublegiſſet, qui primus viderit, ad ius naturae tantum hoc genus officiorum pertinere; cum nemo veterum latinorum ius naturae latius dixerit.

Qui vitam tot per annos conſumſerat in literis diſcendis ac docendis, videbaturque natus et factus ad docendum, tamen non minus aptus erat ad res agendas. Itaque eius opera fideli et vtiliſſima multos per annos vſi ſumus in rebus Academiae communibus tractandis, quae ſub eius manu etiam meliores et auctiores factae ſunt. In quo plurimum adiuvabatur vero Academiae amore, et ſtudio adverſus Collegas, quibuscum, quoad quisque vellet, amicitiam et concordiam coluit. Nemini ſe anteponebat: non ſui arbitrii erat: non in ſententiis pertinax, aut vincendi adverſus collegas cupidus: omnibus obſequi, prodeſſe, placere cupiebat: amicus fidelis, ſodalis iucundus. Quo maius deſiderium, quamquam valde ſenex mortuus, publice privatimque reliquit. Amorem gratum erga Academiam, de qua per tot annos abvnde meritus, et ſatis gratus videri debebat, etiam teſtamento declaravit, quo pecuniam ſuam propemodum omnem deſtinavit Facultati Artium, vt Profeſſorum inde

Digitized by Google

ſtipendia perpetuum auctarium, ipſi autem monumentum ſui in Ordinem amoris haberent.

Nec minus illa aſſiduitas, et non modo patientia, ſed etiam alacritas in laboribus ſuſtentabatur naturali robore corporis, quo etiam morborum cauſſas e vitae genere, et impetus ipſos ſuperabat. Cum tentaretur interdum doloribus e calculo renum: celeriter levabatur, vel excernendis calculis minoribus, vel eiecta per vrinam materia plurima viſcida, calcis ſimilitudinem referente. Acciderat ei etiam hoc incommodi, ante decem amplius annos, vt acies oculorum cataracta oppoſita obſcuraretur. Sed ea cum in altero depreſſa manu artificis adhaeſiſſet (nam in altero nondum ad maturitatem concreverat) ita eo oculo valuit, vt, vitro convexo admoto, omnes ei vſus neceſſarios praeſtaret. Tentatus eſt vergente aetate etiam aliis malis, quibus alius fortaſſe ſuccubuiſſet: at inſita vis corporis ea non ita longo tempore diſcuſſit. In quo ſe dicebat adiuvari plurimum aëris liberi ac puri vſu. Itaque cum ſe imbecillitate aliqua ſentiret infeſtari, medicinam fere petebat ab excurſione paucorum dierum in vicinam ſilvam Academiae noſtrae; vnde ſe praedicabat ſemper velut recreatum redire. Sed omnia vincit paullatim ſenectus: et nulla vis corporis eſt tam firma, quam non ad extremum frangat atque conficiat aetas. Anni igitur proxime ſuperioris menſibus humidioris et inclementioris aëris coepit interdum laborare difficultate reſpirandi, quae ſenilia maxime corpora ſolet infeſtare. In quo levabatur medicamentis, quae vel humores viſcidos diſcuterent atque evacuarent, vel corpus roborarent, celeriter ſuccurrente Celeb. Ludovici noſtri amica cura. Sed maior incubuit vis mali, primum auctumno ſuperioris anni; adverſus quam tamen vtcunque ſuſtentata eſt Viri imbecillitas: deinde principio veris proximi. Quo tempore cum acceſſiſſet febricula, ita corpus, aetate, laboribus, aliisque malis ſenilibus confectum, paulatim exaruit, vt vitae finem adeſſe ſentiret. Itaque

omiſſis

omiſſis omnium humanarum rerum curis, et editis mandatis vltimis, totum ſe comparavit ad conſtanter ingrediendum iter, quod ante oculos eſſet, firmans ſe cogitatione rerum coeleſtium, et colloquiis ſuper iis cum pluribus, inprimisque Eichlero, apud quem edere confeſſiones ſolennes Euchariſtiae ſumendae conſueverat. In his cum menſem amplius exegiſſet, ipſis Kal. Maiis, hora tertia matutina, leniter exſpiravit, nactus vitae finem, qualem pie exoptaſſe diximus. Vixit annos LXXVI. cum menſibus quatuor: ſed vivet porro vigebitque doctrinae, et meritorum in doctrinae ſtudia, et hanc Academiam, memoria, quoad doctrinae ipſae vigebunt, et haec officina doctrinarum ſtabit. Sed noſtrum maxime erit, qui praeſentes virtutes Viri, vſuque cognovimus, ſanctam habere eius memoriam, et cum ceteras virtutes eius, tum amorem vel in rempublicam noſtram, vel in literarum et ſapientiae ſtudia, vel in adoleſcentes ſtudia illa aemulantes imitari. P. P. Dom. IV. Adv. Dominici a. C. cIɔIɔccLXI.

MEMORIA CHRISTOPHORI WOLLII

THEOL. DOCTORIS ET PROFESSORIS EXTRAORDINARII ET AD AEDEM S. THOMAE DIACONI.

Quanta iactura publice facta sit in morte Christophori Wollii, Viri S. R. et Clarissimi, nemo potest ignorare, qui non ipsum et virtutes eius plane ignoret. Quis autem ignoret aut Virum eum, qui in luce Ecclesiae et literarum vixerit, aut virtutes eas, quae in tam amplo huius Civitatis theatro spectatae sint, et tot ingenii monimentis propositae late fulserint? Itaque virtutes ipsas commemorare, aut praedicare, supervacuum fuerit, ac prope in eas iniurium: relinquiturque vnum lugendae ac deplorandae calamitatis publice acceptae triste officium; quod hoc debemus magis, ac persolvimus libentius, quo magis adversus Viri tam bene de Academia et literis communibus meriti memoriam et debemus grati esse, et vero etiam cupimus. Sed pleraque amissorum in eo bonorum communiter lugemus cum multis, illud autem proprie, quod fuit in exemplo, saluberrimo cum aliis, tum iuventuti nostrae, his praesertim temporibus, quae maxime tali exemplo, vel ad confirmandum ac prope consolandum, vel ad incitandum atque inflammandum, opus habere videantur.

Etenim non facile reperietur in tota hac Civitate nostra, qui primum durioribus vsus sit initiis pueritiae, cui tantopere ac tamdiu confligendum fuerit cum paupertate;

Digitized by Google

pertate; quae eſt natura ſua moleſtior iis, qui propter ardorem diſcendi, lautiorem librorum et aliarum rerum apparatum deſiderant ad illam ſitim reſtinguendam, et facile ingenium praeclarum, et altiora expetens, debilitat, atque aut ab ſtudio ſuo reiicit, aut a recta via demovet. Enimvero ille conſtantia invicta et alacri fortitudine contra molitus eſt, et ab illis ipſis difficultatibus, quibus vndique oppugnabatur, vires ſumſit aviditas diſcendi. Et illa erat neque ſimulata, aut verbis iactata cupiditas, vt ſaepe, nec quae ſatiari ſe pateretur iis, quae aliorum ſtudium abunde explent, atque etiam fatigant, ſed qualem Socrates vere excellentis ingenii haud ambiguum ſignum faciebat, hoc eſt, quae omnia complecteretur, quorum ſcientia in laude poneretur. Itaque multas linguas, latinam, graecam, hebraicam, omnes longe ſupra mediocritatem didicerat: etiam novitias adiunxerat, Francicam, Britannicam, Hetruſcam, Belgicam: partes humanitatis omnes, philoſophiam omnem: denique Theologiae partes vniverſas ita perceperat, vt difficile eſſet decernere, in qua praecipue excelleret; cum non magis erudite interpretaretur, quam ſubtiliter diſſereret, nec modo acute in ſcholis diſputaret, ſed etiam accommodate ad captum popularem de fide et officiis concionaretur. Quid dicam de ſcientia hiſtoriae, non modo civilis antiquae, ſed inprimis eccleſiaſticae, et diſciplinarum theologicarum omnium, item librorum in omni genere literarum ac doctrinarum, in quo ſtudium ſuum poſuerat? Nec illa librorum ſcientia erat ſimilis notitiae ei, quam boni librorum propolae tenent, ſed digna docto viro, quae ad res ipſas cognoſcendas, et ad apparatum doctrinae recte vſurpandum prodeſſet. Et ea omnia ita habebat in promtu, propter felicitatem ingenii, aſſiduitatemque exercendi, vt nunquam in vlla re, de qua quaeſtio aut ſermo incidiſſet, deſtitueretur.

Sed nec illa pertinax cum paupertate conflictatio, nec haec tanta, tam copioſa et parata ſcientia, infelix

 fuit.

Digitized by Google

fuit. Etenim et illa ita victrix euasit, vt non modo ipsa paupertas cum toto incommodorum et molestiarum satellitio cederet, sed etiam loco pulsae succederet Bona Copia rerum omnium, et ad finem vsque permaneret, et doctrinae varietas et copia praemia tulit in omni genere ea, quae non saepe contingunt eidem; cum et nomen Viri longe lateque celebraretur laudibus doctissimorum hominum, nec modo popularium, sed etiam externorum ac locis disiunctissimorum, in praesentem autem confluerent honores et emolumenta iucundissima: vt ipse fateretur, sibi longe supra spem ac vota contigisse res secundas.

In quibus omnibus quam multa sunt aptissima, primum ad confirmandam honestam et probam paupertatem, ne abiiciat animum, sed pertinacia laboris, constantiaque studii, confidat, se impedimenta fortunae, quamquam potentis adversariae, superaturam, speretque res meliores, quae semper contingunt tandem iis, qui sapientiam vero et constanti et pio adversus Deum animo coluerunt, tantoque plus secum adferunt suavitatis, quanto post plures et maiores aerumnas contigerunt. Sed qui similem fortunam optet, aut sperare velit, Wolliano exemplo fretus, idem Wollianae patientiae, constantiae, et industriae exemplum imitatione vera et fideli persequatur: nec aequum censeat, sibi legere ac sperare, quod suavius sit, quod autem molestius putet, detrectare. Quam bene autem hoc exemplo admonemur, quantum bonum sit in ipsa illa paupertate, si accidat iis, qui ab ingenio bene sunt constituti, hoc est, in quibus celeritati percipiendi par adiuncta est cupiditas discendi? Etenim videmus, illa ipsa difficultate, quam paupertas obiicit, acui posse ingeniorum vim, et, velut maiorum atque celeriorum fluminum, ab obiectis molibus, incitari et augeri. In quo quantum sit ad consequendam eruditionem magnam et copiosam adiumentum, quis non intelligit? Quo minus etiam talis bonarum mentium pauper-

paupertas magis beatas atque ad eruditionis magnae et publice privatimque fructuosae gloriam feliciores putare debet divitias, quibus citius retardantur ingenia et franguntur, quam incenduntur ac confirmantur. Circumspicite quaeso, Cariſſimi Cives, et numerate clariores omnium diſciplinarum doctores, quos vel haec Academia ad hoc vſque tempus habuit, vel qui alias ſuae doctrinae lumine illuſtrarunt: reperietis, longe maiorem eſſe numerum eorum, qui ad eam facultatem et gloriam a paupertate profecti ſint, quam qui a rebus lautis ac divitiis venerint. Ipſius autem doctrinae Wollianae quam luculentum exemplum eſt, ſive magnitudinem eius videamus, ſive genus et modum. Nam primo, qui tot linguas, tot artes ac diſciplinas, tam bene et copioſe tenuit, non ſatis docet, quantum capiat ingenium humanum, ſi modo aperire ſe doctrinae vndique affluenti, eamque ſerio complecti, exaggerare eius theſauros, et fideli cuſtodia retinere velit? non pudorem incutit ignaviae, quae tam libenter anguſtis ſe vnius diſciplinae finibus continet, atque etiam ſe ingenii humani imbecillitate, et diſciplinae cuiusque amplitudine velat, et, vt etiam impudentior ſit, modeſtae cuiusdam ſapientiae nomine ornat? Quis porro non videt, in illa primo linguarum variarum inter ſe, deinde artium et doctrinarum conſociatione, rurſusque linguarum et doctrinarum copulatione, eſſe pulcherrimam bene diſcendi diſciplinam? quae perſpicue doceat iuvenes, qua via ad Theologiae accuratam et exquiſitam ſcientiam pergendum ſit, ipſaque Theologia, quae proprie dicitur, quam multarum artium comitatu ſtipata eſſe debeat.

Haec exempla autem praeſto eſſe, et oculis obverſari iuvenum, et commendari, quando magis, aut aeque neceſſarium fuiſſe dicamus, quam hoc miſero et calamitoſo tempore? quod non modo belli vi, ſed etiam multis multorum malis artibus, avaris fraudibus, et impia immanitate, vel adfert paupertatem, vel aggravat, tollendis

Digitized by Google

paupertatis honeſtae perfugiis, vel ita minatur in poſterum iuventuti ac denunciat, vt deterrere eam a ſtudiis doctrinae velle videatur; quae etiam pro nihilo haberi prae pecunia, et pecuniarum ſpe, nullo alio tempore magis patuit. Quam alieno autem tempore de Civitate noſtra et Schola ſublatum eſt exemplum tanti laboris, tam efficacis induſtriae, tam inſatiabilis in diſcendo et cognoſcendo aviditatis; cum ita ſunt inclinata omnia in ſtudiis literarum ad compendiariae doctrinae ignaviam, laborum in diſcendo et exercendo fugam? Nec vero parum incommode ita cecidit, vt in illo Viro nobis eriperetur, qui vel tacita exempli ſui exprobratione oppugnaret illud diſcidium linguae et cordis, quod a tam multis inducitur atque etiam commendatur, qui doctrinam barbaram, et literis atque humanitate deſtitutam, non modo ſequuntur, ſed etiam laudant. Quo magis etiam faciendum eſt, vt, exprimenda Vitae eius imagine, ſaltem memoria talis Viri commendetur ſtudioſis doctrinae, ſi vel ſic aliquo modo tam multiplicis exempli auctoritas et fructus conſervari poſſit.

In quo praedicanda eſt Vrbis noſtrae ac Civitatis felicitas et benignitas, quae hunc Virum protulit, fovit, atque ad honores extulit. In ea natus eſt d. xxiiii. Ian. an. cIↃIↃcc. tenuis ſortis, at honeſtae parentibus, patre Martino Chriſtophoro, Ioachimi Philippi, civis Stolbergenſis, et Magdalenae Peterdorfiae, filio, matre Suſanna Catharina, Ioannis Troiani, civis Schlaecenſis, et Catharinae Haſiae, filia: quibus mature privatum ad ſe recepit, et paterno animo educavit patruus, Io. Valentinus, civis Bornenſis. Literas didicit primum in ludo illius oppidi, ita ſtudioſe et feliciter, vt celeriter condiſcipulos ceteros ſuperaret. Nec ſatis habuit diſcere, quae a praeceptore publico traderentur, ſed etiam domi aſſidue legit libros graecos et latinos, quos ei ſuppeditaſſet D. Lucii, Sacrorum Antiſtitis, et Henr. Fulmichii, Conſularis, liberalitas. Inde annos natus quindecim venit huc, in diſci-

Digitized by Google

disciplinam et contubernium Scholae Thomanae, decreto Ordinis amplissimi, suffragante Gotfr. Graevio, Consulari, cui coram ingenium et profectum in literis probaverat. Ibi vero non modo literas eas, quarum tum in ea Schola disciplina erat, diligenter ac studiose coluit, sed etiam hebraicas adiunxit, vsus opera M. Matthiae Georgii Schroederi, qui orientales literas tum privatis scholis docebat. Tribus annis post, cum ex illius Scholae disciplina, cum luculento Praeceptorum testimonio, discessisset, Academicos doctores coepit audire, Philosophiae discendae caussa, per tres solidos annos, Andream Rudigerum, Theologiae, Io. Gottlob Pfeifferum, Hermeneuticae denique sacrae, D. Christianum Frider. Boernerum. Arabicas etiam literas coepit discere, magistro Carolo Datichi, Graeco Antiocheno, qui tum in hac Vrbe commorabatur. At non contentus iis, quae in scholis traderentur, ipse assidue curioseque legendo, scribendo, cogitando auxit scientiam a praeceptoribus acceptam. In quo vsus est bibliothecis publicis privatisque, nulla insuper occasione bonorum librorum videndorum, et ad legendum sumendorum, praetermissa. Eos autem ita legere consueverat, vt inter legendum singulà excuteret, consideraret, quid probandum reprobandumve esset, videret, denique horis nocturnis excerpta in certos locos reconderet. Haec tanta aviditas legendi et discendi cum vulgo nota esset, offerebantur ei vndique libri boni et novi ad legendum, etiam a librariis, qui amare solent, si qui sunt liberalioris ingenii, homines mercis suae intelligentiores et amantiores. Sed ne legendi studium libris modo vernaculis, graecis et latinis, contineretur, linguas etiam externas, Britannicam, Hetruscam, Belgicam didicit, omnes sine magistris, quibus solvere pro opera sibi navanda non poterat. In quo quantum laboris exhauserit, facile intelligi potest. Ceterum cum ita recte pronunciandi modum ignoraret, post, cum facultas data erat, magistris earum linguarum

Digitized by Google

hactenus vſus eſt ad breve tempus, vt pronunciandi modum diſceret. Atque hic tantus amor literarum atque doctrinae, eique adiuncta probitas vitae, conciliavit ei non modo Praeceptores, vt eum amarent inprimis, ſed etiam alios, in his L. Romanum Tellerum, patrem eius, qui nuper Eccleſiam non magis quam Academiam noſtram ornavit, Virum ſingularis ſanctitatis: a quo commendatus Abrah. Chriſtophoro Plazio, Conſulari, Patronum reperit, qui primum victu praebendo, deinde vero etiam aliis beneficiis adiuvaret.

His igitur initiis niti coepit et ad illam doctrinam, quae tantae ei laudi fuit, et ad honores et fortunas. Et honorum quidem curſus hic fuit. Primum Magiſter Philoſophiae creatus, privatim docendi ius nactus eſt, ſpecimine legitimo ad diſceptationem publicam propoſito, *de facultatibus intellectualibus in bonos habitus mutandis.* Deinde adſcitus eſt a. 1725. in Catechetas Petrinos; octo autem annis poſt deſtinatus Concionibus in aede D. Nicolai diebus Saturni a meridie habendis: quo temporis tractu etiam Baccalaureus S. Theologiae creatus eſt. Sed haec initia tenuia, quibus ſatis diu contentum eſſe oportuit, inde ab anno XXXVII. maiora et luculentiora et frequentiora praemia ſecuta ſunt. Nam eo anno Diacono emerito, primum in Nova aede, deinde in Nicolaitana, adiunctus eſt: duobus annis poſt ad aedem Thomanam translatus, Diaconus concionibus meridianis habendis merere coepit: e quo gradu, quatuor annis, ad ſecundum in ea aede, qui eſt Archidiaconatus, pervenit: perveniſſetque ad primum, niſi a valetudine, de qua poſt dicemus, impedimentum oblatum fuiſſet. Inter haec etiam Academicis ornamentis auctus eſt. Nam a. XLI. ſecundum gradum Theologicorum honorum cepit, anno autem XLVI. ſummum. Acceſſit ad extremum, anno poſt, ornamentum a Principe, data Profeſſione Theologiae extraordinaria.

Etenim

Digitized by Google

Etenim a ſtudio docendi, quod cum primis honoribus Academicis ſuſceperat, et ipſa conſuetudine docendi auxerat, nihil remiſit, poſtquam ſacrorum faciundorum munus receperat: ſed quamquam hoc, vt nunc ſunt tempora, prope totum hominem occupat, et plus, quam ſatis eſt, laborum habet; tamen ipſe nullo modo paſſus eſt ſe a docendo abſtrahi, ſed ſemper aliquot horas, ad extremum, cum valetudine oculorum impediretur, vnam ſaltem die quoque erudienda iuventute conſumſit. Solebat autem maxime operam docendi ponere in interpretandis ſcripturis ſacris, de qua parte ſanctae diſciplinae etiam ſcriptis bene meritus eſt, et in explicandis ſcholae modo dogmatibus theologicis. In docendo porro mira alacritas erat, et quaedam celeritas ab exercitationum frequentia et diuturnitate, atque etiam fiducia quadam iuſta, per quam etiam tarda ingenia incitaret, et ſecum abriperet. Ea porro adiuvabatur a facultate bene loquendi, non modo hactenus, vt facile ac bene poſſet dicere, quae vellet, ſed etiam, quod ea dabat brevitatem in diſſerendo, quae nec rebus obeſſet, nec perſpicuitatem impediret: quam brevitatem, niſi, qui ſit in artibus bene latine dicendi egregie verſatus ac tritus, conſequi in docendo ac ſcribendo nullo modo poteſt. Itaque etiam diſciplina eius a quamplurimis expetebatur, et ad extremum vsque diem vitae ei corona auditorum non defuit.

Sed cum ſtudioſe doceret iuventutem, propter amorem doctrinae; multo etiam ſtudioſius ac diligentius partes muneris eccleſiaſtici exequebatur. Concionantis mira perſpicuitas erat: delectus rerum ita aptus ingenio populari, vt etiam doctis ſerviret: denique aliqua gratia, digna rerum ſanctitate. Itaque libenter audiebatur a multis. Qui eius curae proprie ſe crediderant, confeſſionibus edendis, qui erant permulti, eos ita curabat, vt etiam vehementer et parentis modo amaret.

Nec

Digitized by Google

Nec vero agendo tantum protulit doctrinam, sed etiam scribendo. Nulla est pars doctrinae sacrae, quam ille non vel vniversam illustrarit literis, vt interpretandarum literarum sacrarum et Theologiae moralis disciplinam, vel parte aliqua explicanda accuratius, aut defendenda. Sed maxime amplexus est sacrarum literarum interpretationem, in qua, propter scientiam linguarum, plurimum valebat. In eo genere cum alia multa bene scripsit, quae infra commemorata sunt, tum de *Parenthesi sacra* egregiam Diatriben, de *Calmetianis regulis interpretandi scripturas*, et *Hermeneuticam N. T.* Graecam N. T. orationem defendebat adversus eos, qui paene totam hebraicam facerent; non hactenus, vt nihil ex hebraico sermone ductum haberet, sed vt longe minus, quam nonnulli iudicarent, inprimisque is, qui in Batavis adversus Rollinum negaverat, Novi Testamenti Volumen inter Classicos auctores numerandum esse, e quibus sermo graecus disci a pueris debeat: cui proprium libellum opposuit. Nec minus bene mereri studuit de literis humanioribus, non modo ita, vt eas diligenter commendaret, et cum sacris coniungendas esse, praeceptis et factis doceret, sed vt etiam scriptis pluribus illustraret. Nec eae male de ipso meritae sunt. Nam earum commendatione olim receptus est in domum Schacheri, Medici Clarissimi, ad erudiendos filios; in qua per decem annos benigne habitus, et omni genere beneficiorum cumulatus est. Nec alia magis scientia ipsi vel conciliavit, quorum patrocinio ad eam, qua post vti coepit, fortunam est productus, vel aditum ad famam, etiam apud exteros, et gloriam dedit, quam sine his literis magnam, et late patentem, et diuturnam contingere non posse, et res et vsus omnis aetatis docet.

Sed in partibus praecipuis felicitatis, ad quam, Deo bene iuvante, se pervenisse gratus praedicabat, inprimis numerari debent matrimonia: quorum alterum, a. XXXIX. cum Christiana Elisabetha, D. Friderici Werneri, ad aedem

Digitized by Google

aedem Nicolaitanam Archidiaconi, filia, Virgine ornatiſſima, initum, tribus annis poſt, morte Vxoris optimae diſſolutum eſt, alterum ad mortem ipſius duravit. Nam altero anno a prioris Coniugis morte, duxit Fridericam Eliſabetham, D. Chriſtiani Friderici Boerneri filiam, in quo ipſo felicitas permagna erat, Virginem animi corporisque dotibus ornatiſſimam: quam et amavit, vti debuit, maxime et conſtantiſſime, et amantiſſimam ſui in ſecundis rebus et in adverſis expertus eſt; cum ea, ſupra quam ab illo ſexu, et a foemina, quae in illa fortuna nata et educata eſſet, poſtulari poſſet, in ſocietatem incommodorum ſe daret, et eorum onera allevare Coniugi, conſolando, et multo magis vigilando et laborando, ſtuderet, exemplum fidei coniugalis ad poſteritatem pulcherrimum futura. Vtrumque coniugium foecundum habuit: primum, duabus filiabus, quarum alteram Fridericam Eliſabetham, infantem amiſit, alteram Chriſtianam Sophiam ipſe, non longe ante mortem, deſpondit M. Mauritio Wilhelmo Schleſiero, Viro reverendo et docto, qui in villa Grostreben, haud procul Torga, caſte et religioſe ſacra facit: alterum vna filia Friderica Rahele, Ornatiſſima Virgine, et duobus filiis, Chriſtophoro Friderico, et Chriſtophoro Gottlieb; quos Patris et Avi materni ſimillimos ſperamus futuros. Liberorum amantiſſimum, et in magna indulgentia tamen ſeverum Patrem fuiſſe, vel illud documento eſt, quod filium maiorem, non modo ab aliis doctis hominibus bene erudiendum curavit, ſed etiam ipſe in partem inſtitutionis venit, quotidie non modo quaerendo, quid egiſſet, didiciſſet, ſed etiam vnam et alteram horam magiſtri munere fungendo. Quae vtinam felicitas ei diutius manſiſſet, et ad fratrem minorem venire potuiſſet! Sed aliter viſum eſt Deo, rerum humanarum omnium arbitro, cuius in voluntate reverenter acquieſcere fas eſt.

Commoda valetudine cum vſus eſſet a pueritia, per quam illa alacritas in omnibus rebus, illa invicta laborum patien-

patientia ſuſtentata erat, paullo maior quadraginta annis, coepit imbecillitate tentari, quae graves morbos gigneret. Eius cauſſam medici repetebant ab corporis habitu, qui mollior et ſucculentior a pueritia fuerat. In eo cum per ſe matura ſenectus cum ſuis incommodis veniat; apud noſtrum hoc celerius venit, quo molle corpus in iuventute durius tractaverat per paupertatis neceſſitatem et diſcendi aviditatem. Haec igitur imbecillitas non modo imparem gravioribus laboribus diutius ſuſtinendis fecit, ſed etiam alia mala attulit, quae ex humorum tenuitate et abundantia naſci ſolent: ſudores nocturnos, quos ſaepe febricula, aut δυσπεψία, aut catarrhus, aut arthritis ſecuta eſt, et cum ſingulis imbecillitatis acceſſio. Hinc etiam gravis oculorum morbus venit, in quo curando fruſtra laboratum eſt. Sed per hunc ipſum valde auctum eſt malum, ademta laboris materia et motu intentiori, qui in principio imbecillitatis ſubinde profuerat, coepitque corpus ex hypochondriis laborare. In quo morbo cum aliquoties levamentum accepiſſet ab vſu acidularum Egranarum, inſtituit iis vti ſingulis annis. Nec effectu optabili caruere. Sed proxime ſuperiori hieme, ex terrore ſubito, et ſecuta terrorem refrigeratione, repente eum invaſit febris ſimilis catarrhali, cuius tanta vis fuit, vt vitae periculum adiret. Evaſit tamen periculum, et per medicamenta idonea, quae ſolers cura Iankii, Viri Cel. propoſuerat, ita paullatim corroboratus eſt, vt optime ſe valere diceret. Ceterum ineunte aeſtate rediit ad acidulas, quas ſibi adeo ſalubres expertus erat. Eae per quatuordecim dies ſumtae, cum plurimum profuiſſe viderentur, alios quatuordecim ei aquae ſumendae deſtinat, et lagenas ſingulas in dies quosque. Per aliquot dies nihil incommodi animadverſum eſt: at die ſexta Iulii repente omnia in perniciem verſa ſunt. Nam cum mane, aqua Egrana pota, etiam calidam bibiſſet, ſolita cum alacritate, absque vllo incommodi alicuius ſenſu, ſubito praecordia ſibi queritur opprimi,

Digitized by Google

primi. Sed initia iſta mali gravioris erant. Ecce vero paullo poſt eas malum vires ſumſit, vt Virum, tanquam apoplexia attonitum, in lectulum adſtantem deiiceret. Tardum erat, Iankium vocare, qui procul ab ea domo abeſſet: quamquam et ipſe vocabatur. Arceſſitur e proxima vicinia Boſius, V.C. et ab arte eius, multis praeclaris curationibus nobilitata, auxilium petitur. Is vero cum celeriter accurriſſet, tamen moribundum reperit: Iankius autem, qui paullo poſt et ipſe acceſſit, mortuum. Senſit ſtatim Vir beatus, vitae finem adeſſe, et ita ſenſit, vt nec perterrefactus concideret animo, nec vllum ſignum animi non parati ad illud iter conſtanter ingrediendum ederet. Bono animo ſuos eſſe iubet, inprimis Vxorem, quae prope magis ipſo torpebat ab illa plaga: dat mandata vltima: animum commendat in manus Domini noſtri: ita exſpirat.

Percuſſit non modo ſuos ille tam repentinus et gravis caſus, qui multiplicem iacturam moerebant, ſed omnes, ad quos fama tam inopinatae rei manarat, qui etiam in ſocietatem luctus venere, aeſtimanda et privata calamitate eorum, quibus maritus, pater, ſocer, affinis ereptus eſſet, ſed etiam publica. Quam iacturam Nos maxime aeſtimare ac dolere convenit, qui doctrinae publicae praeſumus, et, propter merita Viri in Eccleſiam, Academiam, et literas, optare, vt Deus tutelam eorum ſuſcipiat, quos mors eius gravius et propius adflixit. Vos autem, Cives Cariſſimi, hoc exemplo moniti, diſcite paupertatem aequo animo ferre, eiusque ſaevitiam patientia laborisque conſtantia ſuperare: diſcite aſpera illa et longinqua via, ſed vna vera, ad doctrinam et laudem contendere: diſcite vero etiam mori. P. P. Domin. II. p. Epiph. A. C. cIↃIↃCCLXII.

MEMORIA

MEMORIA
IACOBI CHRISTIANI SEILERI
MEDICINAE DOCTORIS

Cum vniuerſa hominum natura, facta ad ſimilitudinem et imitationem beneficentiſſimae naturae Dei, et eſſe debeat, et vero etiam ſit poſt Deum maxime benefica, nec quisquam ita tenuis ſit ac humilis, vt nihil conferat, aut conferre poſſit ad communem vtilitatem, cum etiam ex iis, quae ad ſuam neceſſitatem quisque et vtilitatem comparavit, aliquid redundet ad communem, ſaepe etiam plus ad communem, quam ad privatam: tum vero antiquiſſima, nec vtique falſa aeſtimatione, maxime benefici habiti ſunt ii, quorum ingenium et opera in vita hominum et valetudine tuenda, et mortis morborumque periculis depellendis conſumeretur. Etenim nomen *Evergetae*, quod ad maximorum et vberrimorum beneficiorum praedicationem memoriamque vſurpavit vetuſtas graeca, et libentiſſime adſcivit vanitas regum ad beneficiorum ſuorum magnitudinem oſtentandam, id, memoriae traditum eſt, primo tributum eſſe Aeſculapio, qui artem hanc inveniſſe et homines docuiſſe putaretur. Et cum id verbum natura ſua eſſet commune omnibus, qui commodi aliquid adiunxiſſent vitae cuiusquam, tamen maxime haeſit in iis, qui vitae periculum medendo depuliſſent, aequatumque eſt pulcherrimo *Soteris* i. e. *Servatoris* nomini, omninoque proprie *Evergeta* dictus, qui Servator et eſſet et appellaretur. Itaque frequenter in monumentis graecis iunguntur *Soter* et *Evergeta*, vt et genus beneficii appareat, et id ſuper omnia alia extollatur,

tur, velut vnum aut maxime dignum ea appellatione: viciſſimque Soteris verbum a ſervatae vitae beneficio translatum eſt ad alia, quorum tanta magnitudo eſſet, vt vitae conſervatae aequanda viderentur *), velut menſura legitima beneficiorum ad vitam humanam pertinentium eſſet in vitae conſervatione, tantoque maius quodque beneficium eſſet, quanto propius ad eam accederet.

Ac profecto, ſi velimus perſpicere ſenſus noſtros, et excutere intelligentiam communem, facile reperiamus, hanc menſuram beneficiorum non levitate aliqua ſuſceptam, aut per inſcitiam conſtitutam, ſed ab ipſa natura traditam eſſe defixamque in mentibus humanis. Quod enim eſt humanum in his terris quantumlibet bonum, quod non et debeat poſtponi, et ſine dubitatione poſtponatur vitae, quae eſt veluti ceterorum omnium baſis quaedam, qua everſa, tollantur cetera pariter omnia. Quod ſecuti Hebraei, vitam ita dixerunt, vt felicitatis vim omnem complecteretur; idque ad animum transferens ſermo Apoſtolicus, Servatorem vocat, auctorem ac principem vitae, qui nos ab omnibus malis liberatos, ad veram et aeternam felicitatem traduxit. Recta autem valetudo quid eſt, niſi ſecunda quaedam vita, per quam non modo retinetur ac defenditur ea, quae proprie eſt vita, ſed etiam facultas fruendorum bonorum humanorum datur, et ipſe ſenſus bonorum non modo venit, ſed et illuminatur ita atque acuitur, vt, ea recepta et firmata, ipſa bonorum noſtrorum poſſeſſio reſtituta et confirmata videatur. Nam, vera et ſubtili aeſtimatione, ea modo ſua quisque dicat, quibus vti fruique poſſit; eſtque imbecillitas valetudinis et aegrotatio ſimillima Horatianae inter opes inopiae. Itaque nulla ſuavitas eſt tanta, quae comparari poſſit cum ea, qua afficiuntur animo et corpore, qui e difficili ac longa valetudine recreati ſunt ac refecti; non modo quod praeſenti vitae amittendae periculo

*) vid. dicta in Clave Cicer. in *Soter*.

culo liberati, in quandam ſpem ſecuritatis adducuntur, cuius recentis ſuaviſſimus eſt ſenſus; ſed etiam, quod ipſius valetudinis novae, hoc eſt, reviviſcentium et geſtientium virium animi et corporis, redditique bonarum rerum omnium ſenſus, mira eſt, nec vlla oratione exprimenda dulcedo.

Quo minus eſt mirandum, ſi, quorum conſilio, prudentiae curaeque hoc tantum bonum debemus, eos vero, vt maximi beneficii auctores amplectimur, omnesque, qui ſe et vitam ſuam in ea arte collocarunt, eamque faciunt dextre et fideliter, vt communes Evergetas, non modo vivos colimus, ſed etiam mortuos grata memoria proſequimur. Qui honos iis non ipſorum modo beneficiorum cauſſa debetur, ſed etiam, quod ea beneficia tribuunt primum promiſcue et ſine delectu, nemine ab auxilii ſui veluti portu excluſo, deinde, non vt ceteri, qui ſine incommodo ſuo et moleſtia impertiunt aliis de eo, quod ipſis ſupereſt, quoque facile carent, ſed cum magna aerumna et miſeria ſua. Nam ſi nulla miſeria eſſet in aſſidue ſpectandis e propinquo malis humanis: quantum laboris ſuſtinetur in iſtis perpetuis concurſationibus? Quam plenum moleſtiae eſt, tot hominum perverſitatem et ſtultitiam perpeti, impatientiam perferre, difficultatem exſorbere, vivere ac, paene dicam, etiam dormire, ad aliorum arbitrium, non, quod beatiſſimum putatur, ad ſuum, ſaepe etiam, cum non poſſis, quod velis, malam gratiam inire.

Sed ex hoc genere nuper habuimus D. Iacobum Chriſtianum Seilerum; quem qui communem Civitatis noſtrae *Evergetam* dixerit, non profecto aberret a vero: adeo laborioſe, fideliter, atque feliciter medicinam in hac Civitate fecit, adeo etiam diu! vt qui ante quinquaginta amplius annos ſe ad artem faciendam contulit, et ad extremum vſque diem vitae pari tenore operam ſuam longe plurimis navavit atque probavit. Sed ille non communi modo de cauſſa, et vt ceteri eiusdem artis profeſſores,

res, *Evergetae* nomen honoremque meruit, ſed etiam propriis quibusdam et praecipuis. Erat enim mirifice propenſus ad benefaciendum, eiusque benignitas patebat omnibus, non modo qui expeterent, ſed etiam aliis, quos aliqua de cauſſa amaret, aut in honore haberet, omninoque dignos benignitate ſua putaret. In quo ſe exiſtimabat gratiam iis referre, quorum benignitate quondam ſublevatus ad eam fortunam enixus eſſet. Itaque ſaepe, etiam iis, qui non poſtularent aut ſperarent, gratuitam operam navabat: qui etiam ſolebant praeter ceteros praedicare aſſiduitatem in viſendo, et diligentiam in curando. Nam non modo bene *docet amor*, vt eſt in proverbio, ſed etiam bene *curat*: et in hanc quoque partem valet, quod Celſus ait, in praefatione operis, *vtiliorem medicum eſſe amicum, quam extraneum*. Nec ille tam quaeſtui ſerviebat, cui ſedulitas et diligentia non nimis aptae ſunt, quam ſaluti hominum, operam ſuam expetentium, et indulgentiae ſuae ac fidei *).

Sed etiam alii, et per alias, quam quae cum arte eius coniunctae eſſent, occaſiones, eum *Evergetam* experti ſunt et coluerunt. Erat domus eius communis portus paternae gentis, et certiſſimum perfugium cognatorum omnium. Hinc conſilium auxiliumque in rebus dubiis

 et

*) Nihil, vt opinamur, impedit, quo minus, ipſa re admoniti, locum Celſi e L. III. c. 4. emendemus. *Ex his intelligi poteſt, ab vno medico non poſſe multos curari: eumque, ſi artifex eſt, idoneum eſſe, qui non multum ab aegro recedit. Sed qui quaeſtui ſerviunt, quoniam is maior ex populo eſt, libenter amplectantur ea praecepta, quae ſedulitatem non exigunt.* Difficultas eſt in verbis *ſi artifex eſt:* quae cum ceteris non bene coëunt, vt ſenſit acutiſſimi et elegantiſſimi ingenii Vir, Io. Lud. Blanconus, qui in eo loco ſe haerere fatebatur. Si transponamus verba in hunc modum, *ab vno medico, ſi artifex eſt, plures curari non poſſe, eumque idoneum eſſe, qui etc.* plana erunt omnia. Medicus artifex opponitur ei, qui quaeſtui ſervit, artis ſecurus negligensque. Probavit Vir illuſtris hanc rationem, a quo, quia et medicus artifex, et doctiſſimus eſt, paremque elegantis doctrinae copiam tenet, Celſi editionem numeris ſuis abſolutam, quaeque et medicis et literatoribus ſatisfaciat, expectamus.

Digitized by Google

et angustis petebant, hic reperiebant. In quo numero se maxime memorant fuisse, primum D. Christianus Gottl. Eichlerus, ad D. Nicolai in hac Vrbe Pastor, quem ille non modo, quoad in Schola Misenensi fuit, sed etiam, cum in hanc Vrbem studiorum caussa venisset, beneficentia sua liberalissime fovit, post etiam omnibus in rebus enixe adiuvit: deinde Ioanna Regina, L. Schleusneri, ad aedem D. Thomae Archidiaconi, Coniux, Matrona ornatissima; quam, parentibus mature orbatam, ad se recepit, et non secus ac filiam suam, summa cura ac liberalitate educavit: a quibus vicissim, vt alter Parens, perpetuo amatus et cultus est; cum ipse eorum rebus secundis, vt suis bonis, gauderet, et eorum fortunam in magna inprimisque iucunda parte felicitatis suae poneret, denique, cum senectus eius morte Vxoris destituta esset, in eorum pietate suavissime acquiesceret. Nec minus carus fuit ac iucundus ceteris, qui eius benignitatem, curam, et studium consulendi rebus suis essent experti. Itaque, quamquam summa aetate mortuus, tamen magnum sui desiderium reliquit, nec modo his, qui fructum aliquem ex eius benignitate ceperant, sed etiam ceteris, qui eum propter illam ipsam benignitatem amabant. Neque enim eos modo conciliat sibi vera et magna liberalitas, quos ea proprie complexa est, sed etiam, ad quos nihil ex ea pervenit: nec modo propterea, quod in ea commune perfugium putatur, sed quod habet insitam a Deo commendationem ad animos humanos, eamque tantam, vt amare necesse sit, in quibus ea elucet.

Hunc tam beneficum, et cum hac, tum aliis caussis amabilem ac venerabilem Virum edidit villa (*Hoekendorf*) inter Dresdam et Dippoldivillam a cIↄIↄcLXXXII. die XVII. Martii, patre M Balthasare Seilero, Sacrorum in ea villa antistite, matre Dorothea, Iacobi Lossii filia, qui Ecclesiae et Dioecesi Bornensi magna cum laude praefuit. Puerilis aetatis magistros habuit, primum domesticos, in his M. Io. Christoph. Eichlerum, qui suffectus mox Seilero, filiam

filiam eius in matrimonium duxit, ex qua Noſter, quem ante commemorauimus, natus eſt; poſt publicos, Danielem Seiſſium, ludi literarii in vicino oppidulo, quod a vitris fundendis, cuius rei officina eſt in vicinia, nomen habet, Rectorem, et mox Scholae principalis ad Grimmam magiſtros, Tobiam Petermannum, Georgium Ermelium, Io. Chriſtianum Knauthium, et Sam. Iacobum: quibus ingenium, ſtudium diſcendi, profectum in literis graecis et latinis ipſum, denique mores, ita probavit, vt ab iis cum luculento teſtimonio in Academiam dimitteretur.

Ceperat puerum lubido artis medicae diſcendae, allectum, vt fit, exemplo domeſtico, quod matris frater, Ieremias, in Academia Vitebergenſi inter eius artis Profeſſores claruerat. Acceſſerat poſtea imbecillitas valetudinis, cui ſe conſulturum putabat, ſi ipſe ſibi medicus eſſe poſſet. Atque etiam alia artis bona conquiſierat, quibus eam ſibi ipſe commendatiorem redderet: vnde ei argumentum orationis, de medicinae laudibus, natum erat, qua veniam ſcholaſticae diſciplinae impetraret. Et forte ita accidit, vt in huius Academiae cives referretur ab Ordinis medici profeſſore, Io. Chriſtiano Schambergero, qui tum Academiam regebat. Is fuit dies XIV. Octobris anni cIↃIↃCCII. Aditum ſibi ad illius artis diſciplinam patefacere inſtituit per Philoſophiam, et corporis humani per anatomas notitiam: quarum alteram M. Carolus Frider. Petzoldus tradidit, ad alteram a M. Martino Nabotho adductus eſt. Poſthaec ad maiores ſe doctores, Bohnios, Rivinos, Paulos, Schambergeros, Etmulleros, Petermannos et Schacheros applicuit: quos cum omnes ſtudio doctrinae cepiſſet, tum maxime benevolum et liberalem in ſe expertus eſt Schacherum. Nam ab eo receptus eſt in domum, et non modo docendo ad medicarum rerum ſcientiam inſtitutus, ſed etiam ad artis faciendae vſum exercendo et agendo adductus eſt, vt qui etiam ter ſecum in thermas Carolinas abduxit, vt opera

 eius

Digitized by Google

eius in curationibus istis vteretur. Quod beneficium ille non modo tum, eo, quo debebat, animo, accepit, sed etiam perpetua memoria ita prosecutus est, vt Schacherum vivum mortuumque alterius Parentis loco coleret.

Cum discendo exercendoque ita profecisset, vt ipse curandis morbis par esse videretur, consilium cepit, honores Doctoris petere in Academia extranea, delegeratque animo Dresdam, in qua, medicina facienda, rem quaereret. Sed intercessit ei consilio frater Patris vterinus, Christianus Satlerus, qui Mitueidae mercaturam faciebat. Is cum audisset, parari in hac Academia Gratulationem Secularem, auctor erat nostro, vt inter ea Solemnia Doctoris gradum capesseret, sumtumque in ea re faciendum benigne pollicebatur. Qua conditione accepta, cum specimina legitima per Examina et Lectiones edidisset, Disputationemque, *de morbis placentae vterinae*, pro Cathedra cum laude defendisset, inauguratus est Doctor Medicinae a. d. IX. Dec. a. cIↄIↄccix. Tum, artis in hac Vrbe faciendae initio facto, statim sensit, adesse providentiam divinam rebus suis. Nam cum ita accidisset, vt, paullo post honores Doctoris acceptos, D. Fridericus Guil. Closius, Ordinis medici Adsessor, morbo gravi implicaretur, ab eo delectus est, cui curam eorum, qui suis consiliis vterentur, crederet, dum ipse valetudinem recuperasset. Quibus cum diligentiam fidemque abunde probaret, mortuo paullo post Closio, ab iis adscitus est in locum eius. Hac veluti hereditate, nec ea parva, adita, cum etiam indies augeretur numerus eorum, a quibus opera sua expeteretur, duobus annis post matrimonium iniit cum Regina Dorothea, Christiani Scholvini, Typographi non obscuri, et Collegii typographorum Magistri filia, cuius virtutes cognoscendi facultatem propinquitas dederat. Cum hac vndequadraginta annos, summa concordia vixit, nec alium ex ea dolorem cepit, quam quem mors eius attulit. Id matrimonium omnibus aliis rebus beatum, prole caruit. Sed

in

in naturalis prolis locum recepti ſunt plures de propinquis, in his in primis ante commemorati, etiam heredes ab eo ſcripti, a quibus viciſſim, vt et a Coniugibus vtriusque, parentis naturalis in loco amatus et cultus eſt.

Ceterum ea fortuna, quae ab initio fuit, ad extremum vsque permanſit: ſemperque eius conſilium et opera in valetudine tuenda morbisque curandis a permultis expetita eſt, mandata etiam ab Ordine Ampliſſimo cura aegrotantium in ſuburbano ad aedem Ioannis γεροντοκομείῳ, quam per triginta annos ſumma fide ſuſtinuit. Sed et ipſe non defuit fortunae, et conſervatis ad finem, et auctis omnibus, quibus ea vel divinitus conceſſa, vel allecta eſſet ab initio. Quae pietas in Deum, quam integra, quam efficax in agendo, quam conſtans fuerit, ſciunt omnes, quibus non plane ignotus fuit. In agendis rebus, quarum curam ſuſcepiſſet, quanta diligentia, fides, induſtria fuerit, non his modo conſtat, qui eius opera ſunt vſi, ſed omnibus. Quotusquisque non miratus eſt ſaepe, cum extremis etiam annis, in ſumma ſenectute, videret ſenem feſtinare per vias vrbis ad viſendos vel aegrotos, vel amicos alios, qui ei tutelam valetudinis credidiſſent, vt videret, ſi qua parte labaret, et fulcimento indigeret. Et in iſtis tot curis concurſationibusque, etiam ſenis vultus ſemper ſerenitatem obtinebat, et prope hilaritatem, vt quae pectoris tranquillitate perpetua e pietatis et officii conſcientia ſuſtineretur. De beneficentia ſingulari ſupra diximus. Quis audivit quemquam de eo aliter dicere, quam in partem eam, vt integritatem eius, probitatem, officium, humanitatem laudaret? Quis non etiam ſenis conſuetudine et ſermonibus delectatus eſt, quos nihil nec triſtitiae aut moroſitatis, nec loquacitatis inutilis ab ſenectute vltima traxiſſe videbamus et mirabamur. Quo minus mirandum eſt, ſi carus fuit omnibus, ſi eius incolumitatem et felicitatem ad ſuam curam propemodum omnes retulere. Quis enim non doluit, cum aliquid incommodi e lapſu, aut

Digitized by Google

alio tali casu, seni evenisse audisset? Quam multi etiam dedita opera hoc egerunt, vt eum aliqua inopinata benevolentiae suae significatione exhilararent. In quibus maxime insigne fuit Ordinis Medicorum amabile studium, quo quinquagesimum capti Doctoratus annum ei, publice privatimque, Oratione, Versibus, Convivio, laetiorem effecit. Et erat tanti, exhilarare Senem, qui, quicquid huiusmodi esset ei tributum, accipiendi gratia augeret.

Sed in ceteris bonis Viri, etiam mortis genus, ipsius aestimatione, numeraverimus. Qui enim vix auditus est, optare aliquid humani boni, auditus est saepe, cum vitae finem facilem, et mortem sine morbi diuturni praegressione optaret. Quae ei, exacta sine morbis aetate, contigit. Nam cum ei puero corpus ita fuisset imbecillum, vt vitae longae spem concipere non auderet, ea post valetudinis firmitas fuit, vt semel tantum, non longe ab inito matrimonio, aegrotaverit. Et tum quidem periculose: ceterum, eo periculo superato, non nisi leviter aliquoties brevibus incommodis tentatus est, cum ostenderent se modo velut e longinquo morbi, non minarentur aut vim facerent. Quod ille non ad securitatem trahebat, aut valetudinis vitaeque longae fiduciam, quae est fallacissima, multosque cum maxima pernicie decipit: sed quanto magis abesse periculum videbatur, tanto magis se ab insidiis muniebat, non modo in illam partem, ne fretus firmitate corporis laberetur in infirmitatem, sed maxime in hanc, ne parum paratus ad vitam futuram opprimeretur a morte. Nam quotidie memor mortis, quae sibi serius ocius oppetenda foret, ita se comparabat, ita se suaque Deo mandabat, vt nulla mors ei repentina et inopinata esse posset. Qua die mortuus est, antemeridianis horis, etsi ipse tentatus a leui catarrho, et sentiens solito maiorem imbecillitatem, qualis e defatigatione solet esse, tamen obierat plures e catarrho laborantes, a quo genere tum infestabantur longe plurimi, in his nepotem illum suum D. Eichlerum: a quo cum domum relatus

relatus esset adoperta sella, subito pectus sibi vehementius opprimi sentit, intercluso paene spiritu. Re statim nunciata proximis, advocatur Ludovicus noster, Vir Celeb. opis ferendae caussa. Sed mali vehementia remedio locum non relinquebat. Arctatur magis magisque spiritus et tardatur, ad extremum plane deficit; cum interea circumstantes et repentino malo paene stupentes amici adiuvant moribundum precibus, et D. Eichlerus piam animam commendat Deo, ad quem mox, exuta corporis vinculis, abiit. Dies is fuit X. Aprilis. Obiit octogenario maior. Corpus depositum est ad aedem S. Paulli, in Crypta Iuniae gentis, iuxta Coniugis ossa, vt ipse voluerat.

Vita Viri feliciter defuncti rebus humanis, vt ante quamplurimis profuit actionum salubritate, ita posthaec etiam prodesse debet exempli sanctitate, et multiplici admonitione, vel iuventuti apta vel senectuti. In eam igitur intueamur omnes, nec modo vt laudemus, sed multo magis vt imitemur, et ita demum Seni Venerando a nobis iusta facta putemus. P. P. Lipsiae Domin. VII. p. Trinit. a. C. cIↄIↄcclxii.

Digitized by Google

MEMORIA
D. FERDINANDI AVGVSTI HOMMELII

CONSILIARII ELECT. SAX. IN IVDICIO PROVOCATIONVM PROF. O. PANDECTARVM ET CANONICI NVMBVRGENSIS

In doctrinae partibus iis, quae terminis olim angustis conclusae, ita late patefecere fines, vt nunc spatium prope immensum amplectantur, vel maxime numeranda est scientia, quam profitentur hi, qui legum et iuris diuini humanique doctores et interpretes appellantur. Nam cum ab initio nihil aliud fuerit, quam paucarum vnius ciuitatis legum, consuetudinum fori, et formularum notitia, quae nullis literis vteretur, nullis artis et scientiae compagibus teneretur, in qua solus vsus et memoriae vis valeret; post, in infinitum aucta paullatim legum multitudine et varietate, in quibus cognoscendis, interpretandis et ad caussam quamque conferendis versarentur, qui se iurisperitos ferrent, omnium prope doctrinarum multa et magna adiumenta sibi adsciscere necesse habuit, et ad bene cognoscendum, et ad recte docendo agendoque vtendum. Itaque, si quis Iuris Consulti perfecti formam exprimere velit, profecto non minus, quam ille apud Ciceronem Crassus in Oratore, qui sit absolutus numeris omnibus, effingendo, multarum ac prope omnium artium ac disciplinarum scientiam ei adiungat, efficiatque, vt talem Iurisconsultum cogitare ac videre animo, nominare quemquem et reperire oculis nusquam possimus.

Nam

Nam primum in eo requirat literas graecas et latinas omnium aetatum, ad leges omnes omnium temporum intelligendas et interpretandas: nec terminos angustiores ponat scientiae rerum gestarum, institutorum, consuetudinum, h. e. historiae et civilis et ecclesiasticae, vt non modo leges ipsas, sed etiam caussas earum et consilia assequatur, in quo quanta vis sit ad intelligendum et ad iudicandum, et per se intelligitur, et est a Balduino, Schultingio, aliisque demonstratum praeclare. In hac autem ipsa quanta debet esse Geographiae et Chronologiae, et veteris et mediae, notitia? quae quantum saepe faciat in intelligendo momentum, quot exemplis, vt hoc vtamur, vtriusque Codicis demonstratum est a Gothofredis, Pagiis, et aliis? Ad eam autem omnem scientiam rerum atque verborum accuratam, cuius vnius vsus certus est, comparandam, lectione opus est prope infinita, non modo legum ipsarum, et civilium et ecclesiasticarum, quarum vix numerum ineas, sed scriptorum cuiusvis aetatis, et qui res humanas, et qui divinas tractavere, vnde lux petenda est legibus, earumque verbis et caussis intelligendis. Tum ei adiungemus Criticam, quae corrupta ab integris, genuina a spuriis discernat, vitiosa emendet, adulterina repudiet, rem longe difficillimam: adeo multae lectionis, obseruationis, adeo magnae diligentiae, magnique iudicii est! Iam quantam ei attribuemus, quam accuratam scientiam iuris naturalis, ad intelligentiam et iudicium iusti et aequi, et cum leges interpretari volet apte ad vsum vitae communis et fori, et cum iudicare de legibus ipsis, et cum bene consulere in legibus, vel veteribus emendandis, vel novis scribendis? Ad haec autem omnia quam necessaria instrumenta afferre et in promtu habere debebit a Dialecticorum doctrina, et exercitatione artium dicendi, non modo vt recte et acute videat, in ambiguis distinguendis, in obscuris a perspicuis, veris a falsis discernendis, sed etiam, vt in docendo scribendoque via et ratione progredi, rem

quam,

Digitized by Google

quamque, ſive definire volet, ſive demonſtrare, ſive refellere denique, vt ergo diſtincte, perſpicue, accurate etiam, eleganti et plena brevitate, explicare poſſit, ne vel impediat lectorem, vel confundat, vel decipiat, vel deterreat, aut fatiget atque enecet.

Sed in quo, dicere poſſumus, haec fuiſſe vniverſa? Singulas partes aut aliquot in vno eodemque fuiſſe, nemo neget. Et admiramur, cum ſingula in aliquo videmus ita fuiſſe, vt excelleret: et gratias agimus etiam mortuis, quos aliquam ex illis partem ita reperimus tractaſſe, vt ei lucem ornatumque attulerint. Nam quis ex iis, qui latinas et graecas literas adamaverunt, non laudet Iureconſultos, a quibus eae ſunt adiutae? qui fuere permulti et eximii. Latinitas quidem et Graecitas ſerior, ab ICtis prope ſolis, ab ſolis certe iuſta diligentia, tractata eſt, vt Cangio. Theologus porro ſit aut valde imperitus, aut ſuperbe ingratus, ſi vel neſciat, vel negare ſuſtineat, a ICtis, a Cuiaciis, Pithoeis, Puteanis, Gothofredis, Valeſiis, Iuſtellis, plurimum, immo prope plus allatum eſſe hiſtoriae eccleſiaſticae, ex ipſis monimentis antiquitatis ſacrae, vel ad cognoſcendum verum et illuſtrandum, vel ad repudiandos vulgatos et religioſe probatos errores, vel ad Criticam eccleſiaſticam, quam ab ipſis ſui ordinis hominibus. Quis vnquam obiter inſpexit eruditos illos Iac. Gothofredi in Theodoſiani Codicis reliquias Commentarios, nec eum vidit, omne genus veterum, etiam eccleſiaſticorum, tum graecorum tum latinorum, ſcriptorum, lectionis varietate et amplitudine complexum fuiſſe? Et fuerunt eius generis, praeſertim in Gallia, plures. Vniverſa hiſtoria, praeſertim antiquior, cui plus debet, quam praeclaris ex eodem ordine ac ſtudiorum genere viris, et per eam literae bonae vniverſae. Nam cum Eccleſia foedis erroris, ignorantiae et ſuperſtitionis tenebris, res autem publica civilis, dominationis Romanae iugo iaceret oppreſſa, ſaevumque in omnia imperium per iniuſta Pontificum iura obtineret, ICti antiquum

quum et verum ius repetentes, dum in eo literarum et hiſtoriae inſtrumento neceſſario vtebantur, harum ipſarum reſtituendarum felix initium fecerunt. Nec vero poſt expulſam barbariem, in alio doctorum hominum ordine plures fuere ſcribendi ac diſſerendi ſubtilitate et elegantia inſignes, qui magna cum ſuavitate legantur etiam ab his, quorum ſtudia ab eorum propria profeſſione diſcrepant: quos longo ordine enumerare non eſt neceſſe. Nam iuris naturalis excellenti ſcientia praeditos in iis multos fuiſſe, et hanc philoſophiae partem in eum locum, vbi videmus, ab iis provectam eſſe, non ſit mirum, nec dubium eſſe poſſit.

Enimvero, ſi non ſunt haec vniverſa in vno, nec ea capiunt anguſtiae vel ingenii vel vitae humanae: relinquitur omnibus tamen hoc, vt illam doctrinae iuridicae perfectionem intuendo incitent ſe ingenia, primum ad ſtudium perfectionis, et ad diligentiae induſtriaeque tum contentionem tum conſtantiam; deinde vt ſaltem orbem illum doctrinae et eruditionis decurrant ante, quam ſibi deligant partem aliquam aut plures, in quibus velut domicilium ſtudii et vitae collocandum putent, nec in eo delectu ſequantur vnam vitae ſuae neceſſitatem et copiam, hoc eſt, quaeſtum, quo nimis nunc inclinat, vt in omni alio vitae genere, ingeniorum humilitas et minuta ignavia, ſed etiam decus tum literarum et doctrinae eius, cuius ſe adſeclas profitentur, tum ſuum et ingenii ſui, ne poſt mortem ſimiles ſint vnicuique de plebe opifici, cuius quia vſus cum ipſo tollitur, etiam memoria interit et cum cadavere ſepelitur. Atque etiam in ipſo actu exercendae profeſſionis facere oportet intervalla laboris, et redire ad illa eruditiora, nec ita quaeſtus vinculis eſſe alligatum ſellae operarum forenſium, vt non liber aliquando ſis et ingenio laudique indulgeas. Nam et alii erecto et alto ingenio viri, qui longe gravioribus rebus, reipublicae bello ac pace regendae, vacarent, tempora bene diſpenſando ſibi reliquum fecere, quod in ſtudiis

Digitized by Google

ſtudiis doctrinae, oblectandi animi cauſſa, conſumerent. Et quam multa, quam facile licet legere, obſervare, et parvo parum addendo efficere acervos rerum, et brevi tempore profligare plurimum, ſi illas, quae quotidie plus vice ſimplici fiunt, aliisque inter manus elabuntur ac male pereunt, temporis micas et quaſi ramenta, velut bonus et attentus pater familias, tollat et in talibus collocet vir adſuetudine laborandi facile et efficaciter laborans? Neque enim exiſtimare licet, magnos illos ICtos, praeſertim Franco Gallos, qui tot ingenii monumenta reliquere, referta literarum et doctrinae exquiſitae copia, nihil aliud egiſſe, quam vt in illa materia conquirenda et digerenda ornandaque laborarent, aut aliter egiſſe, quam diximus.

Fallimur, an id egit carus nuper nobis Collega, Ferdinandus Auguſtus Hommelius, Vir illuſtris. Nam primum ita praeparavit ſe doctrinae iuris percipiendae et tractandae, vt qui excellentis Iure Conſulti laudem appeteret, aſſumendis literarum, hiſtoriae, philoſophiae adiumentis, per diſciplinam eorum, qui in iis excellerent. Deinde initium docendi fecit ab iis partibus doctrinae ipſis, et per omne reliquae vitae tempus argumenta ſcribendi per occaſiones Academicas ita miſcuit et variavit, vt appareat, illum, quem ſupra diximus, orbem ab eo fuiſſe decurſum, nec vllam partem doctrinae, quae vel proprie iuris eſſet, vel cum eo haberet eam copulationem, quam ſupra oſtendimus, ab eo plane depoſitam fuiſſe. Deſcendit etiam ad Critica, velut in Diſputatione ea, in qua Novellarum exemplum archetypum defendit eſſe Latinum, non Graecum, contra quam viris prope principibus in hoc genere viſum erat. Atque hoc cum alii videre et laudarunt, tum etiam iudicavit ſodalitium eruditorum Teutoburgenſium, quod eum iam ſenem, ante hos octo annos, honorandae doctrinae cauſſa, numero ſuo adſcripſit. Sed eam varietatem doctrinae ipſi libellorum, quos conſcripſit, tituli indicant, indicabit

etiam

Digitized by Google

etiam vitae in ſtudiis et in iure diſcendo, docendo, reſpondendoque actae ratio: quam, age, breviter a principio exponamus.

Hommeliorum priſcae claritatis gens eſt. Sed primum per Io. Hummelium inclaruit eum, qui Memmingae, patre honeſto natus, cum in Academiam noſtram Viteberga veniſſet, paullo poſt Georgio Ioachimo Rhetico, anno 1557. ſuffectus eſt in artium mathematicarum doctrina publica, Vir magnitudine ingenii, doctrinae ſubtilitate et copia, inventorum pulchritudine et vtilitate, gratia denique Caroli Caeſaris, et Principum Saxoniae, Mauricii et Auguſti, florentiſſimus, cuius memoria Schelhornii diligentia proprio commentariolo illuſtravit, in *Amoenitatibus liter.* (*T. XIV.*) Hic, illius aetatis more, flexo ad latinam graecamque rationem nomine, Homelius et Homilius promiſcue coepit vocari. Et hanc quidem formam ſocer, Camerarius, ſequebatur; quam et in ſepulchri titulo expreſſit: illa ipſum vſum eſſe, Commentarii publici demonſtrant, in quibus acta magiſtratus Academici a. 1552. geſti, ſua ipſe manu perſcripſit. Atque ea gentis conſenſu obtinuit. Poſt eum, ex eadem Memminga huc venit Andreas, Ioannis e fratre nepos, qui Collegii Principalis vtriusque ſodalis, Academiae Syndicus, et inter Curiae Oratores fuit, habuitque in matrimonio Ioach. Camerarii e Caſp. Iungermanno neptim, Vir et ipſe in ſuo genere egregius, qui et magiſtratum Academicum bis geſſit. Per hunc familia Homelia in his terris fundata, etiam extra Lipſiam pluribus locis ſedes habuit, ſed tenui conditione ſortis; donec eam priſtina fortuna reſpicere coepit per noſtri patrem, Gotfridum, qui Leucopetrae natus, cum ſedem veterem gentis in his locis, Lipſiam, repetere auſus eſſet, in ea locum inter Curiae Procuratores obtinuit. Is habuit in matrimonio Benignam, Danielis Horneiſii, civis honeſti filiam: ex qua noſter ei natus eſt anno ſuperioris ſeculi primo et nonageſimo, die tertio Februarii.

Nihil

Digitized by Google

Nihil fuit Parenti potius, quam vt caram hanc sobolem a prima aetate et ad pietatem et ad doctrinam formaret. Eius curae adiutores assumsit praeceptores domesticos, pios et doctos: in quibus fuere duo, postea clari admodum doctrina honoribusque; nam alter, Liebius, clarissimae gazae numariae Ducis Gothani magna cum doctrinae gloria praefuit, et Hommelius, cognatus, ad extremum Ducis Hilperhusani a Consiliis sacris et concionibus primo loco fuit. Hi fecere omnia, vt carum et felicis ingenii alumnum et amore literarum doctrinaeque liberalis incenderent, et ad earum luculentam scientiam erudirent. Ita institutus accessit ad scholas maiorum disciplinarum, anno huius seculi tertio decimo, audivitque assidue philosophiae caussa, praeter Phil. Olearium, in primis Andream Rudigerum, historiae, Menkenium et Frankensteinium, eloquentiae denique, Mullerum vtrumque. Tum se contulit ad Doctores iuris, Lüderum Menkenium, Barthium, Io. Frid. Olearium, Schoenium, et Freislebium, qui nunc Cancellarii munus apud Comitem Geranum e Ruthenis magna cum dignitate sustinet. Quibus audiendis cum plurimum profecisset, tamen ea scientia, quam his audiendis comparaverat, non acquievit, sed ad maiora adspirans, anno septimo decimo ad Halas vicinas abiit, audivitque pari studio Thomasium, Io. Petrum de Ludewig, Boehmerum, Gundlingium atque Heineccium. Sed ante, quam abierat Halas, ceperat in hac nostra Academia honores Magistri philosophiae, cuius etiam priuatim docendae ius adeptus est a. 18. per disputationem *de Idearum vera natura et indole;* in qua defendit, ideam omnem esse nihil aliud, quam sensionis antegressae recordationem; ex quo nullas ideas innatas esse colligit, et multa alia, ab multorum philosophorum placitis dissentientia. Quod facit ita, vt se in libris philosophorum clarissimorum, Cartesii, Lockii, Arnaldi, Clerici, cognoscendis diligenter esse versatum ostendat. Sed vt in ea re magistrum secutus erat Rudigerum,

gerum, ita in aliis ab eius praeceptis discedere, et contra eius rationes, vt in loco de Figuris Syllogismorum, modeste disputare non dubitavit, non a veteris magis philosophiae, quam novae servitute alienus. Nam philosophiam nulla servitus decet, et frustra iugum vetus excussimus, si nobis imponi sinimus aliud; quod fere agunt, qui novi philosophiae generis auctores videri imperitae iuventuti volunt. Sed honoribus Lipsicis Doctoratum iuris addidere ICti Halenses a. 19. d. 12. Iulii: cuius impetrandi caussa Exercitationem *de victoria querelae inofficiosi, quae sit vtilis alii,* defendit pro Cathedra. Ceterum reversus in patriam, cum ad ius obtinendi in ordine Iureconsultorum nostrorum loci adspiraret, aliam Disputationem, *de actione confessoria et negatoria*, proposuit disceptandam, fecitque cetera, quae mos est fieri ab his, qui alibi creati, nostrae Academiae iura petunt.

His perfectis, et vtriusque disciplinae, tum philosophiae, tum iuris, tirocinio cum laude posito, ad docendum adiunxit animum. In qua ratione ab initio philosophiam cum iure ita coniunxit, vt vtriusque disciplinam profiteretur. Nec successu caruit institutum, multis eius disciplinam expetentibus in vtroque genere. Et ipse delectabatur docendo. Itaque in eo ad finem vsque permansit, nec minus in instituto altero, vt cum docendi industria coniungeret agendi prudentiam. Nam cum quaereretur, qui vicarias operas respondendi praestaret in Scabinorum Collegio, facile hanc ad se delatam provinciam recepit: in eaque summa cum fide permansit, donec in Professione Iuris Ordinaria suffectus Car. Guil. Gaertnero, Dresdam vocato, etiam in Collegium ICtorum Academicorum venit. Et tum ille quidem locum inter Professores Iuris vltimum tenuit; ceterum paullatim ad tertium pervenit, in quo propter imbecillitatem corporis permanere, nec vltra tendere decrevit. Itaque cum a Baueri morte locus vacaret primus, eius petitionem reliquit filio: nec quicquam gavisus est liquidius,

 quam

quam quod filium pater supra se videret, moderantem Collegium tale, cum dignitate et sua ipsius et Patris.

Sed alia praeter haec ei laeta euenere: primum a matrimonio, quod anno 19. cum Ioanna Rosina, D. Io. Henr. Conhardi filia natu minima, Virgine lectissima, initum, prole numerosa beatum fuit. Nam novem filios, et quatuor filias hoc coniugium tulit: sed pars maior prolis vitalis non fuit, superstitesque Patri mansere tres tantum filii, Carolus Ferdinandus, de quo ante diximus, a Consiliis aulicis Principis nostri, Canonicus Martisb. et Prof. Decretalium, qui Patrem etiam, ducta a. 53. d. 3. Maii in matrimonium Amalia Sophia, Rudolphi Augusti Schuberti, nunc Consulis, filia, ingenio, virtute ornatissima, triplici prole exhilaravit, Carolina Sophia, Ioanna Friderica, et Augusto: Iustus Henningus, I. V. D. qui caussas forenses agit, et Henricus Andreas, Iuris Vtr. Doctor et Scabinatus Assessor. Nec paruum fructum doctrinae, prudentiae et virtutis cepit, cum ante hos tredecim annos in Consilio regio, apud quod de provocationibus certatur, suffectus est Bauero: quem locum ita obtinuit, vt etiam augeret eam, quae ante fuerat, de se existimationem, essetque Collegis et propter dexteritatem probatus, et facilitate, comitate, humanitate gratus.

Erat enim in eo ingenium lene, et placabile: multum facilitatis, obsequii, comitatis, patientiae: nihil arrogantiae aut superbiae, nihil asperitatis, nihil pertinaciae in sententia et voluntate obtinenda: fides et aequitas summa. Itaque omnium hominum ac temporum erat: nec eo quicquam aptius concordiae cum Collegis servandae; contra quos cum obtinebat iudicium suum, cessisse magis, quam contra isse videbatur.

Nec magis probabatur ab iis virtutibus, quam ab laborandi assiduitate, pertinacia, et efficacia. Libenter laborabat, vt qui officium amaret: et ingenii bonitate, animi tranquillitate, et exercitationis diuturnitate et constantia consecutus erat, vt efficaciter laboraret.

Sed

Sed non ita laborabat in vna officii parte, vt destitueret aut negligeret alteram. Et ab initio coniunxerat, vt supra diximus, docendi studium cum respondendi et consulendi industria: quam coniunctionem perpetuo conservavit; nec religionis suae putabat, ita amplecti, quacunque de caussa, partem officii alteram, vt altera, se postpositam, queri posset.

Docebat multum et assidue: nec cuiquam, doctrinam suam expetenti, negabat operam suam. Et qui doctrinae elegantiam et subtilitatem adamarat, tamen non recusabat horridiora, et minus iucunda: idemque et iuris partes omnes explicabat, et consuetudinem fori et modum caussarum forensium, scribendo, cavendo, respondendo tractandarum, praeceptis, exercitationibusque tradebat. Erat autem eius disciplina perspicuitate praecipua facilis, delectu rerum et subtilitate demonstrandi vtilis, diligentia fidelis: audiebaturque libenter, tum propter illa ipsa bona, tum propter lenitatem, et quandam quasi dulcedinem orationis, per quam et ipse influebat in animos audientium, et vna res ipsae influebant.

Sed ad omnium animos faciles aditus habebat per eadem vel naturae vel virtutis bona, quae supra sunt commemorata. Et conservabat facile benevolentiam per ea sibi conciliatam: quippe intactus ab invidia, aemulatione et obtrectatione, nec curiosus rerum alienarum. Rarus foris, domi suae se delectabat studiis doctrinae, et officii cura, fruens suorum pietate, obsequio; quos vicissim complectebatur liberaliter amore indulgentiaque salubri.

Talis cum fuerit, non est mirandum, si mors eius acerba et luctuosa fuit suis, molesta Collegis, si denique omnium dolorem iacturae magnitudine aequavit. Ea caussas habuit huiusmodi. Erat ei corpus multae dignitatis, nec sine robore, quod etiam temperantia vel augebatur vel servabatur: ceterum a prima prope aetate angustias praecordiorum senserat. Eas vitae genus, quod

Digitized by Google

ſedendo peragit negotia, paullatim auxerat cum moleſtia reſpirandi. Sed cum de conſilio D. Io. Chriſtophori Pohlii, cui valetudinem regendam crediderat, balneis Lauchſtetinis ante hos tres annos vſus eſſet, ita ſe levatum ſenſit, vt nihil in conſuetudine vitae et laborum mutare neceſſe haberet. Enimvero, anni ſequentis menſe Februario, primum vomitus repentinus et creber, paucis diebus poſt lateris dextri reſolutio inuaſit: e qua etſi ita medicamentis idoneis firmatus erat, vt redire ad laboris conſuetudinem poſſe videretur, tamen conſultum duxit, minuere animi corporisque contentionem, dimiſſaque reſpondendi moleſtia ſolam docendi diligentiam ſervavit. Sed haec ei levatio perbrevis fuit. Nam anno poſt, menſe Aprili, ſubito latus idem tanta vi eſt convulſum, cum ſumma oppreſſione pectoris, vt ſine mente ac ſenſu iaceret. Et ſenſus ac mens rediere illi quidem, ſed ſine vllo lateris convulſi vſu. Itaque ab eo tempore fere in ſella, quod reliquum fuit vitae, transegit. Sic deſertum ab corpore non deſeruit placidus ille et expertae patientiae et tranquillitatis animus, qui iam ſola coeleſtia et aeterna cogitare, atque etiam ſui a corporis vinculis reſolutionem, et ex eo ad meliorem vitam tranſitum exſpectare coepit. Is ei contigit hoc ipſo anno, menſis Februarii die ſexta decima, ſuperveniente catarrho gravi, per quem ſuffocato pectore, vitae magna cum laude actae finis factus eſt.

Ita feliciter liberatus Vir praeclarus ab tantis malis, incredibile dictu eſt, quantum moeroris reliquerit primum Vxori fideliſſimae et amantiſſimae, quae, ſuae valetudinis et ſenectutis mala vix ſuſtinens, huius acceſſione penitus eſt oppreſſa, deinde filiis, tam boni et amantis Patris deſiderium vix ferentibus, denique omnibus, qui Viri virtutes e propinquo cognoverant; in quorum numero nos fuimus in primis, qui Collegii vinculo eum nobis habuimus coniunctum, fuiſſe credibile eſt omnes, qui Doctoris Academici eruditi, laborioſi et fidelis bo-

num

Digitized by Google

num aeſtimare didicere: quales Vos eſſe putamus omnes, Cives Optimi et Cariſſimi, quibus qui bene cupiat, multos tales Doctores optet contingere. Quo magis confidimus, Vos cum grata benevolentia conſervaturos eſſe, et fama ad poſteritatem propagaturos Viri memoriam: quae per tot diſcipulos, et per tot ſcripta in omnes partes ſparſa, ſedem propriam habebit in hac Academia, et in aede Paullina, in qua eam monumento, tali Viro et Patre digno, et ad ſeram poſteritatem manſuro, devinciet filii natu maximi nunquam eum eluctura Pietas. P. P. Dom. Invoc. a. C. cIↃIↃCCLXVI.

Digitized by Google

MEMORIA

IOANNIS FRIDERICI KRVMBHARII

SENATORIS CIVITATIS LIPS. MERCATORIS PRIMARII

In Civitate ea, quae mercaturae fama allexerit quondam fugientes e Bohemiae finibus literas, iisque commodius multis et magnis rebus, iucundiusque domicilium praebeat, quam quocunque alio in loco habeant, in qua denique, vt ille in Campania dixit esse *Bacchi Cererisque certamen*, sic recte dicas esse *Certamen Musarum et Mercurii:* in ea igitur honestum est literis, sua, hoc est, laudis praemia, non modo his impertire, qui artibus doctis bene tractandis collegerint opes ingenii, per quas docte liberales esse in alios, ornare Civitatem suam literarum possint, sed etiam his, qui, mercatura perite, laboriose ac diligenter, honeste, feliciter denique exercenda, divitias comparaverint, quae prosint suis, possint servire iuvandis multis, ornandaeque Vrbi et Patriae communi. Ex quo genere nuper fuit Io. Fridericus Krumbharius, Senator Ordinis Amplissimi, Mercator autem e primariis, planeque ad normam Ciceronis, ad quam dirigi mercaturae faciendae modum voluit, vt honesta esset, et iure posset laudari.

Neque enim Cicero illam asperam et abhorrentem ab humanitate, verbisque magis quam rebus speciosam sapientiam probavit, quae mercaturam e republica vitaque humana tolli vellet, vt matrem vel nutricem vitiorum, quae Lycurgi ratio fuit, probata Plutarcho, haud paullo maioribus iudicibus, Platoni, Aristoteli et Polybio impro-

improbata. Etenim lenitati Platonicae et Ariſtoteleae adſuetus, ſapientiam non modo magnas et ſeveras, ſed etiam humanitatis memores ſententias loqui voluit. Et eſt in illis plerumque plus vanitatis ſuperbae, decipientis aures verbis ſonoris, in his plus veritatis modeſtae, iuvantis animum ſalubritate rerum. Neceſſitas profecto ipſa non modo innocentem pronunciat mercaturam, ſed etiam honeſtam. Eam autem neceſſitatem cum multis aliis Plato, etiam in ea republica, (*de Rep. II. p.* 371.) agnoſcit, quae magis ad philoſophiae ſubtilitatem, quam ad vitae popularitatem accommodata exiſtimatur. Nec vero diſcidium a natura habet mercatura cum honeſtate, iuſtitia, temperantia, nec neceſſario ex ſe gignit vitia, aut, ſi tamen gignit, ſua propria culpa gignit, nec denique ſola vitia, ſed etiam materiam luculentam dat virtuti, in qua ſe multis modis, cum magna laude ſua et vtilitate aliena, exerceat, et parat reipublicae et praeſidia ſecuritatis tuendae, et copias ornandae.

Cupiditas humana per inſitam prauitatem fertur illa quidem ad vitia, ſed non velut cum delectu quodam vnius generis, cuius materia et opportunitate ſublata, vel tollatur vel coërceatur ipſa. Ruit etiam in contraria, vtque res ſe et occaſio dederit, ita vel ad profuſionem vel avaritiam incumbit, vere Proteus, et omnium formarum monſtrum. Itaque niſi divinae ſapientiae et auxilii coeleſtis viribus frangatur et in ordinem redigatur, fruſtra ab vna parte obſtruere coneris; nam ab mille aliis erumpet: fruſtra vnius vitii materiam detraxeris; aliam alius vitii quaeret, et nimis cito reperiet: denique non oppreſſa iacebit, ſed latebris fallacibus abſconſa ſpeculabitur tempora ſua, quibus liberius euagetur. Ac fortaſſe reipublicae profuerit interdum, cupiditatis impetum alio convertere, vbi minori cum incommodo publico, certe pro tempore, inſaniat, materia ei, velut igni, ſubtrahenda: ad virtutem, non dicamus vniverſam, ſed qua parte oppoſita eſt vitioſae cupiditati, nihil profuerit.

 Quod

Digitized by Google

Quod praeclare demonſtrat in reprehenſione Laconicae ab Lycurgo diſciplinae Ariſtoteles, *Polit. II.* 9. docetque, ab ademtis intemperantiae, magnificentiae, avaritiae, per convictum communem et proſcriptam mercaturam, alimentis, et neceſſitate abſtinentiae, alia vitia eſſe inducta, etiam intolerabiliora.

Virtuti profecto nulla neceſſitas bene conſulit, citiusque irritat vitioſam cupiditatem, quam debilitat aut coërcet. Nam liberam ſe virtus et velut ingenuam cenſet: nec ex parte curari vult, ſed vniverſa. Itaque non vtitur libenter magiſtris Politicis, qui raro vniverſam ſalutem hominum virtutemque amplectuntur conſiliis et inſtitutis ſuis, ſed in partium earum veluti viſco adhaereſcunt, quas, quacunque de cauſſa, maxime adamaverunt. In quo ipſo rectiſſime Lycurgi adverſus voluptatem et luxuriam leges reprehendit Plato *de Legibus I. p.* 635. et libro ſecundo latius; quod, dum fortitudinem eam, quae in moleſtiis a paupertate, ab labore, a dolore tolerandis cernitur, inſtitutis ſuis curaret, neglexiſſet alteram, quae eſt in voluptatis illecebris vincendis ac ſpernendis. Atqui haec eſt etiam maior et illuſtrior fortitudo; quod in illa fortitudine adſuetudo patiendi plurimum valet, in hac nihil admodum, acrioresque ſunt morſus a voluptatis dulcedine, quam ab moleſtiarum acerbitate. Sed ille rem militarem amplexus vnam, dum fortitudini conſulit ei, quae cum illa maxime eſſet coniuncta, alteram deſeruit ac deſtituit.

Nec huius virtutis vnius immemorem diſciplinam Lycurgus ſanxit, ſed etiam aliarum, inprimis liberalitatis et beneficentiae, cuius facultatem praeſtant copiae, ab mercatura aliisque artibus quaeſtuoſis ortae, quas omnes pariter ademit ſuis. Quid autem eſt, beneficentiam tollere, niſi partem virtutis humaniſſimam et iucundiſſimam, immo ipſius humanitatis partem abſcindere. Nam vt ſitis commendat potum, ſic inopiae ſenſus quicquid acceperis, et nullum aliud exquiſitius condimentum bonorum

rum habet natura rerum, quam ab amore et misericordia praebentium: nec liberalior est voluptas animi, quam quae beneficiis largiendis venit. Quod enim existimet quis, vt est apud Xenophontem, de Rep. Laced. p. 682. gloriosius esse, per corporis laborem benefacere, quam sumtu faciendo et erogando; quod in illo animi, in hoc copiarum opus sit: id ipsum speciosius est verbis quam re, vt cetera, quae ibi pro tota illa ratione dicuntur, omnia. Nam facultas benefaciendi per impensas, est illa quidem a divitiis et copiis, sed beneficia ipsa et impensae sunt animi, non copiarum. Et difficilius homines per arcae suae copias benefacere, quam per animi consilium et corporis laborem, quis ita expers est vsus communis, vt nesciat?

Quod si pars humanitatis est, quae est profecto permagna, sensum habere munditiae, elegantiae, pulchritudinis, eam appetere in aedificando, in vestiendo, in toto reliquo vitae cultu, eaque transit ab sensibus ad animum, ad sermones et actiones omnes; eam sane propemodum omnem cum copiis illis abegisse legislatorem in promtu est. Non eloquentia ibi vlla, non poëtica, velut in media barbarie, nihil vspiam, nec publice, nec privatim, ab artificio vllo visendum; nihil, quod allicere externos, quod retinere posset; nihil propemodum, quod non abalienaret, quod non fugaret, quicunque sensus satis humanos attulissent.

Et in copiis illis Lycurgo improbatis et repudiatis magno praesidio ad res gerendas privatam fuisse Spartam, et res ipsa docet, et praeclare demonstrat vir πολιτικώτατος, Polybius VI, 47. s. Nam bellis impliciti Spartani, primum necessario, defendendae adversus Persas libertatis caussa, deinde aviditate imperii, pecuniariis caruere copiis, quibus non minus bella geruntur, quam armis et hominum vi, eamque ob caussam coacti sunt ad indignitates omnes descendere: assentari Persis, antea hostibus, iisque prodere Graeciam turpi pace, tantum vt pecunias

 ab

ab iis acciperent; saevitia vti in exactionibus bellicis inter externos, etiam, ad quos belli nulla pars pertineret. Et nos alio loco, perspicue, vt opinamur, demonstravimus, in mercatura, vt in ceteris artibus quaestuosis, esse λειτȣργίαν quandam, et munus, quod reipublicae praestetur vsu et fructu, dum praestari videatur singulis.

Sed haec mercatura quomodo exerceatur, multum refert, auctore Cicerone, si honestatem naturalem retinere velit. Non vult eam esse tenuem, ne quaesticulis minutis appetendis sordes trahat, sed magnam et copiosam, multa multis locis apportantem et multis sine vanitate impertientem, vt liberalius lucretur, nec necesse habeat aut minuta lucra sordide venari, aut ad quaestum fraude contendere; vt porro multis, et dum exercetur, prosit, emendo, vendendo, et lucri copia, vnde redundare aliquid possit ad beneficentiam, ad vsus publicos, et necessarios securitatis, et liberales decoris, in aedificando colendisque agris, hortis, similibusque. Atque etiam satiabilem esse mercaturam vult Cicero, hoc est, quae aliquando, quaestu contenta vel exsatiata, redeat in portum otii honesti, atque hoc ipso se honestam et liberalem probet. Nam illiberalitatis inexhausta sitis est.

Sed ad hanc veluti legem sapientiae Virum amplissimum, de quo nunc dicimus, exercuisse mercaturam, in promtu est. Nam primum genus mercium tractavit eiusmodi, quod manuum artificio censeretur, elaboraretur que intra patriae fines: post, cum inde rem fecisset, nec minus diligentia, parsimonia, ad aliud genus adiecit animum, in quo maioribus copiis res gereretur, vendendis operibus sericis et holosericis, quae ipse instituisset copiose texere officinis suis. Quod genus cum aliis de caussis, vt est, ita censetur honestissimum ac liberalissimum, tum quod est ad pascendam tenuem plebeculam accommodatissimum. Et ille vere pascebat, nec faciebat id, quod interdum fieri in tali genere aiunt, vt quaestum sibi vberiorem redderet operis tenuissima mercede haben-

Digitized by Google

habendis. Sed qua fama, fide, integritate, mercaturam fecerit, nullum certius documentum eſt, quam quod in ordinem Ampliſſimum eſt cooptatus. Denique cum eo ſucceſſu feciſſet, qui ſolet eſſe, cum tali modo res geritur, etiam finem ſibi ſtatuit quaerendi. Nam annis pluribus ante vitae finem, primum filium maiorem adſcivit ſocium; mox ipſe reliquit negotium, et vtrique filio permiſit. Ex quo tempore ille totus vacavit et cura rerum publicarum, et exercitationibus pietatis, quibus ſe ad futuram vitam adeundam praepararet, praeſertim cum et tempora incidiſſent moleſtiſſima iis, qui reipublicae procurationem ſuſtinerent, et coepiſſet ſubinde admoneri fragilitatis humanae et diſceſſus ab rebus humanis faciendi, per ſenſus fortiores imbecillitatis ſenilis. Sed vt magis Viri virtutes et cauſſae earum appareant, age totius vitae curſum perſequemur.

Eius initium habuit Schleizae in Variſcis, die prima et viceſima Decembris a. MDCXCIV. a parentibus honeſtis. Nam pater fuit Henricus, qui tum ibi in aula Comitis rationibus rei culinariae praeerat, poſt Blankenhaynae, quod eſt oppidum Comitum Hazfeldiorum in Thuringia, Conſulares honores cepit, habuitque in eo munere ſucceſſorem filium Henricum Fridericum. Ab hoc parente ſuſceptus eſt e Dorothea Schottia, habuitque praeter maiorem illum fratrem, et alterum, qui in hac noſtra vrbe et ipſe mercaturam fecit, et ſororem Ioannam Dorotheam, quae nupſit Henrico Gottlieb Bleidnero, in Fiſco Ducis Vinarienſis exactori: ex quibus vnum fratrem minorem ſuperſtitem habuit, ſed ad breviſſimum tempus: quippe ſexto decimo poſt eius mortem die apoplexia ablatum.

Puerum magna cura et diligentia aluere parentes, nec modo domi ſuae, in ſchola oppidana, erudiendum curarunt iis, quae communiter diſcuntur ab omnibus, ad religionis et vitae communis vſus neceſſarios, ſed quamquam non deſtinatum ſtudiis doctrinae, tamen adoleſcen-

lescentem miserunt Geram, vt ibi in Gymnasio publico disceret literas et artes, quibus ingenia ad humanitatem formantur. Et sic conformatus et excultus demum missus est in hanc vrbem ad discendas mercaturae faciendae rationes; quarum cognoscendarum facultas ei summa dabatur, cum traditus esset in hanc disciplinam Christiano Henrico et Christophoro Georgio, Winkleris, qui magnam et copiosissimam mercaturam faciebant. Apud hos septem annos didicit, deinde etiam ad annum vsque secundum et vicesimum meruit.

Hoc ipso anno coepit adiicere animum ad mercaturam suo nomine faciendam, vendendis operibus artis Phrygiae, quae in finibus nostris magna cum elegantia et exquisita pulchritudine confici curasset. In quo multum etiam adiuvabatur ab vxore, quam sibi paulo post adsciverat sociam vitae et laborum. Erat enim in ea et exquisitum talium operum iudicium, et cura negotii gerendi prope virilis. Sed ab hoc genere mercaturae transtulit se ad maius et copiosius, instituitque anno quadragesimo in hac vrbe, vt ante diximus, officinam texendis sericis et holosericis telis: quarum ita probabatur elegantia, vt copiosissime divenderentur, alliciente emtores etiam Domini aequitate et fide.

Quae res cum ceteris virtutibus ad eum convertit oculos primum Collegii mercatorii, deinde etiam Senatus. Itaque septem annis post, ab illo praepositus est rebus communibus curandis; ab hoc, ante hos decem annos, cooptatus est Senator: cui honori etiam Centurionatus Vrbicus paullo post accessit. In his muneribus quanta fide versatus sit, non necesse est dicere, cum constet inter omnes. Sed inprimis fides eius eluxit proximo bello calamitosissimo, per cuius omnem decursum ille nullum periculum, nullas molestias, quae tum magna vi ingruebant in eos, qui rei Civitatis publicae praeessent, nullas ergo defugit, sed magna constantia in statione sua permansit, et vexationes omnes pro Civitate pertulit.

In

In hac autem tam laborioſa, ad extremum etiam aerumnoſa vita, tamen, praeter ſucceſſus rei gerendae, multa etiam alia laetiſſima habuit, praeſertim e coniugiis, quae ei multis partibus feliciſſima contigere. Primum duxit a. MDCCXXIV. d. XVIII. Iulii Sophiam Margaretham, Io. Chriſtiani Lentſchii, Magiſtri reſtiariorum, filiam maiorem, nulla alia, quam virtutis et ingenii dote commendatam. Sed id coniugium non modo ea, qua ante diximus, cauſſa, ſupra dotatiſſima felix fuit, verum etiam numero prolis et felicitate liberorum, quos ſuperſtites reliquit: nec aliud habuit triſte, quam quod maior pars prolis vitalis non fuit. Nam peperit illa decies, ſex filios, et totidem filias: Ioann. Fridericum, d. VIII. Maii a. MDCCXXV. Doroth. Sophiam, d. XXVI. Aug. anno poſt: Io. Henricum, d. II. Maii a. MDCCXXVIII. Io. Gotthelf, d. XXI. Dec. a. MDCCXXVIIII. Sophiam Margaretham, d. V. Octobr. a. MDCCXXXII. Chriſt. Henricum, d. XXI. Mart. a. MDCCXXXIV. Io. Carolum d. XXIV. Iun. a. MDCCXXXV. Io. Gottlieb et Roſin. Dorotheam vno partu, d. III. Sept. a. MDCCXXXVI. Ioannam Guilielmiam, d. XXVIII. Aug. a. MDCCXXXVII. iterum eodem partu filias geminas Io. Chriſtianam et Marianam Roſinam, d. XXX. Mart. a. MDCCXL. Vltimo partu, d. IV. Dec. a. MDCCXLI. filiam enixa eſt, ſed in vtero mortuam: quod triſte ſignum matris aegrotantis fuit. Et illa ab eo partu ſtatim ex inflammatione interna graviter laborare coepit, quae ei mortem paucis diebus poſt, d. X. Dec. attulit, magno cum luctu liberorum, et gravi moerore mariti, qui eius amore, fide, diligentiaque felici rei familiaris adminiſtrandae carendum ſibi magno etiam cum incommodo ſuo videbat.

Ex illo toto numero prolis quamquam tantum tres ſuperſtites habuit, tamen in his etiam abunde ei materia ſuavitatis et laetitiae contigit: primum e filia Sophia Margaretha, quam, omnibus dotibus ingenii et corporis ornatam, feliciſſime collocavit Io. Chriſt. Richtero, Mercatori

catori primario, et Procenturioni vrbano: deinde ex vtroque filio, Io. Frid. et Ioanne Carolo, quos ſua diſciplina ad mercaturam cum laude faciendam inſtitutos, et itineribus per Germaniam et Batavos faciendis excultos, ſuffecit ſibi ipſe in negotiatione ab ſe coepta, et per tot annos feliciter adminiſtrata, vt ante diximus, proſpiciens ipſe animo futuram vtriusque, ſimillimam ſuae, felicitatem in re gerenda.

Sed amiſſa prima vxore, cum res domeſtica non videretur ferre viduitatem, adiunxit tandem, anno quarto poſt, animum ad alterum matrimonium, duxitque Chriſtianam Dorotheam, filiam Carol. Frid. Menſeri, Senatoris aedilitii, e Kumſthofia: nec id minus felix caritate mutua, etiam fecunditate fuit. Nam ex ea duos tulit filios, Fridericum Chriſtianum, d. XIII. Sept. a. MDCCXLVI. et Ludovicum Gottlieb, d. IV. Sept. a. MDCCLVI. vtrumque patri ſuperſtitem: quos et ipſos parenti ſimillimos fore virtute, fortuna, ſperamus. Sed hanc quoque Coniugem amiſit, d. II. Maii a. MDCCLXI. tanto maiore cum incommodo et dolore ſuo, quo magis eius cura et auxilio indigere coeperat corpus, aetate, laboribus, moleſtiisque bellicis adfectum et fractum.

Nam ſub finem anni proxime ſuperioris, pedes invaſerat imbecillitas, quae etiam vſum eorum in inceſſu impediret non parum. Sed ille moleſtias vincere adſuetus inductione et conſtantia animi, nihilominus functus erat muneribus, quae ſuſtinebat, omnibus. Et fortaſſe viciſſet etiam illam imbecillitatem per reliquias roboris priſtini: at nova et gravior plaga illa animi, ab morte Vxoris carae, cum acceſſiſſet; tum vero labare periculoſius corpus coepit. Nam imbecillitas tum pedum, tum totius corporis ita aucta eſt, vt domi ſe tenere, et negotiis publicis abſtinere cogeretur. Revocare vires, et fulcire corpus labefactum omni ratione tentabant Medici clariſſimi, Ludovicus et Seilerus; videbanturque profeciſſe aliquid, tum aliis balneis calidis, tum aquis Lauchſtadinis, a quarum

rum vſu meliuscule ſe habebat: cum paullo poſt res rediit ad ſuperiorem imbecillitatem, ad quam acceſſit mox linguae difficultas ſermonisque: ad extremum, principio menſis Auguſti proxime ſuperioris, tanta debilitas eum oppreſſit, vt progredi, niſi ſuſtentatus ab aliis, non poſſet, et corpus ita proſtratum committere lectulo cogeretur.

Adeſſe finem vitae ſentiebat. Itaque totus converſus eſt ad vitae alterius curam et cogitationem: in qua adiuvabatur alloquiis crebris et efficacibus M. Io. Gotfr. Koerneri, Viri Reverendi, e cuius etiam manibus viaticum corporis et ſanguinis I. C pie et religioſe accepit. Ita corroboratus animo, tranquille exſpectavit adventantem mortem, per quam ab illis moleſtiis, paucis diebus poſt, d. xv. Auguſti, eſt liberatus, et ad coeleſtia gaudia translatus, magno ſui deſiderio ſuis, amicis, notis omnibus relicto.

Erat enim in eo ingenium placidum, animus lenis, benignus: nihil vanitatis, nihil arrogantiae: omnia honeſtate, probitate, concordiae ſtudio moderata. Itaque ſuis erat indulgentia, benignitate, carus, omnibus facilitate, obſequio, aequitate, gratus.

Has igitur tales, tam ad caritatem et benevolentiam aptas et efficaces virtutes, imitamini, Cives Cariſſimi, vt et vivi amore Veſtrorum omnium perfrui, mortui autem ornari poſſitis iudiciis ac deſideriis bonorum, quae ſunt ἐντάφια κάλλιςα, ornatus funebris pulcherrimus, immo, in quibus funus ipſum ſplendidiſſimum. P. P. Dom. I. p. Trin. A. C. cIↃIↃccLxv.

MEMORIA

SOPHIAE REGINAE LVDWIGIAE

In praecipuis partibus animi exercendi ad ſapientiam, quae ad veram et perpetuam beatitudinem adducat, ſine omni dubitatione ponenda eſt ea, quae mentem a rerum ſenſibilium vanitate avocatam ad inviſibilium veritatem traducit, iisque acriter et aſſidue contuendis adſuefacit paullatim pulcritudini earum cum ſuavitate ſentiendae. Nam ſuavitas ea, quae eſt e motu corporis ab rerum externarum impulſionibus, praeterquam quod aliquid impuritatis a corporum contagio trahit, non magis habet conſtantiam et perpetuitatem, quam ille motus ipſe; nec ſuavitatis talis appetitio et ſitis quicquam commune cum ſapientia, quam totam animi eſſe conſtat. At quae a rerum inſenſibilium contutu venit, ea primum puritatem habet et ſanctitatem quandam, dignam animi praeſtantia, deinde conſtans eſt atque perpetua; tota quippe poteſtatis noſtrae, et, quoties lubet aut neceſſe eſt, iterabilis, ſaepe etiam ſua ſponte occurrens nobis atque ſe offerens. Res ſenſibiles ipſae, quae quidem innoxiam ſuavitatem animo per ſenſus praebent, imitari ſuo quodam modo inſenſibilium conſtantiam poſſunt, ſi animi vi ad eorum ſimilitudinem revocantur; meliusque et ſanctius oblectant ex adſpectu ſenſibusque ceteris ſublatae, quam cum praeſentes animum per ſenſus dulcedine ſua movebant. Sed homines ita, et natura, et multo magis aſſuetudinis vitio, ſenſibus corporis eorumque ſuavitatibus adſtricti tenentur, vt nihil eſſe putent, vbi nihil movet ſenſus, nec vllam ſuauitatem capere poſſint, niſi quae per corpus venerit. Itaque, vt in hoc genere mane-

maneamus, periiſſe ſibi exiſtimant, quicquid ex oculis ſublatum eſt, parentes, coniuges, liberos, amicos, et cum ipſis ademtum, quicquid ſuavitatis ab iis eſſe poſſet: vnde luctus et moerores, ſaepe immoderati, et ab ſapientia abhorrentes: quibus rebus ipſis profecto fit, vt plane perierit iis, quod non perierat, ſi cernere meliori ſenſu fruique didiciſſent aut ſuſtinerent. Nam profecto melius et acutius videt auditque animus, quam oculi auresque corporis, magisque noſtra ſunt fructu, quae mente cernuntur, quam quae corpore; quippe illa et diutius cerni poſſunt, et quoties volumus. Pater quidem, diſceſſurus a vita, filio adoleſcenti, iacturam imminentem vehementius querenti et lugenti, nihil melius ac verius conſolandi cauſſa dicat, quam ſi hac oratione adverſus eum vtatur: Amove vero, fili, hunc luctum et has lacrimas. Neque enim tibi moriturus ſum: immo vivam tibi, quoad voles, et videbis me poſthac etiam audiesque, quoties voles, et quam diu voles: immo melius me ac magis videbis mortuum, quam vidiſti vivum. Nam hanc ſpeciem oris ac figuram corporis ſolidam quod non videbis poſthac, nec hunc ſonum vocis auribus percipies: quantulum quaeſo temporis fuit illud, quo vidiſti me et audiſti, dum vixi! At animus etiam poſt mortem ſpeciem hanc, hunc colorem et hanc figuram oris, poterit intueri diu noctuque, cum volet. Enim vero quam paruum ac leve eſt etiam hoc totum, quod in vivo vidiſti, quam parum in hoc ſono vocis atque orationis meae! Animum parentis videre, hoc eſt, amorem, curam ſalutis ac felicitatis tuae, in inſtitutis meis, exemplo, cohortationibus, admonitionibus, obiurgationibus etiam, hoc eſt vere videre parentem, hoc eſt totum parentem videre. Hunc tu parentem, mihi crede, vt magis adoleveris, in virili poſthac aetate, atque ipſa adeo in ſenectute, longe verius et clarius, et maiori cum ſuavitatis et amoris ſenſu, ſi ſapies, cum a te diſceſſero, videbis atque audies, quam ad hanc diem vidiſti atque audiſti, immo videre

Digitized by Google

atque audire potuiſti. Haec quin veriſſime dicantur et ad conſolandum aptiſſime et ſapientiſſime, dubitari non poteſt. Nam in vivis quam multa ſunt, quae ſenſum ſuavitatis ex eorum bonis minuant et obſcurent, ſaepe etiam extinguant? vt in parentum diſciplina, cum cohortantur, cum caſtigant, obiurgant; in incommodis porro eorum ab fortuna adverſa, valetudine, et ſimilibus: a quibus liberatur omnibus pietas in mortuis, ſpectandis eorum ſine mixtura malorum opinatorum bonis, vt puram et liquidam capere ſuavitatem poſſit. Sed haerens in ſenſibus vanitas humana aſſequi hanc ſapientiam vix poteſt. Itaque ad inanes mente imagines potius ſe convertunt eorum, quos amavere, easque quam ſimillimas exemplis vivis, et accuratiſſime ad veritatem expreſſas cupiunt habere. Quorſum? vt in coloribus et lineamentis inanibus quaerant, quod haud paullo melius ac verius in ſemet ipſis reperiant. Quanto ſapientius ille apud Xenophontem (Oecon. 10.) Socrates, qui multo magis cupiebat cognoſcere virtutem feminae, ex Iſchomachi mariti ſermonibus, quam corporis pulcherrimam et exquiſitiſſime expreſſam ſpeciem videre: λέγε, inquit, ὡς ἐμοὶ πολὺ ἥδιον, ἀρετὴν γυναικὸς καταμανθάνειν, ἢ εἰ Ζεῦξίς μοι καλὴν εἰκάσας γραφῇ γυναῖκα ἐπεδείκνυεν. *Dic, quaeſo: nam mihi iucundius eſt, virtutem mulieris cognoſcere, quam ſi Zeuxis mihi feminam pulcram pictura expreſſam oſtendat.* Quid? quod ſolet maxime eſſe in promtu conſolantibus homines in morte ſuorum, cum dicunt, in altera vita rurſus in adſpectum complexumque redituros; etſi melius eſt, tamen habet aliquid eiusdem imbecillitatis, ad ſenſum corporis et vitae huius rationem revocantis omnia, et alteram illius melioris vitae felicitatem ad huius ſimilitudinem cogentis, quantum poteſt, et ad ſenſus corporeos trahentis. Quod contra nos debebamus omni modo abſtrahere animum ab ſenſibus, et ad bona inviſibilia cogitanda, ponderanda, transferre, vt dignam ſe et actionem haberet et ſuavitatem, prae-

Digitized by Google

praeparationemque ad ea tempora, quibus omnia ſenſibilia cum corpore evaneſcent, deſtituentque animum iis acquieſcentem.

Haec ſcripſimus, memoriam commendaturi Sophiae Reginae Ludwigiae, feminae primariae, ex oculis noſtris ante paucos menſes ſublatae, non ſuorum modo cum luctu maximo, ſed etiam multorum aliorum dolore: in cuius fragili et imbecillo corpuſculo animus habitabat iis bonis ornatus, quibus contuendis et conſolari quisque dolorem poſſet, et ſuavitatem haud paullo maiorem capere, quam ſi figuram corporis expreſſam exquiſita arte cerneret. Earum igitur imaginem, ſi non expreſſam penitus, at adumbratam proponemus. Sed ante, quae ſenſibus noſtris patuerunt, et ad vitam in oculis noſtris actam pertinent, breviter commemorabimus.

Nata erat in hac ipſa vrbe, anno ſeculi huius ſexto et viceſimo d. XVIII. m. Auguſti, patre, D. Io. Gottlieb Reichelio, Patrono cauſſarum ordinario in Curia ſuperiori et Conſiſtorio, matre Gertrude Sophia, D. Chriſtiani Ludovici, Profeſſoris Philoſophiae Ordinarii, filia. Omen vitae inter multas et magnas moleſtias exigendae fuit mors matris, die nono poſt conſecuta. Nam a ſexto aetatis anno, a quo tempore adoleſcere maxime et confirmari corpus debebat, habuit vitam tot ac tantis aerumnis vexatam, vt tota naturae actio impediretur, et tum vitioſis ſuccis corpus repleretur, tum imbecillitas eius gravis conſequeretur. A quinto décimo anno meliori conditione vti coepit, recreari que, quantum fieri poterat, ſingulari cura amitae, Io. Roſinae, D. Chriſtiani Mich. Adolphi tum vxoris, in cuius etiam domum recepta eſt. Ibi variis morbis, in his variolarum et morbillorum ſuperatis, ſenſit ſibi iam vigorem vitae et valetudinis acceſſiſſe. Nec minus confirmata eſt ánimo, diſciplina eiusdem amitae, et ad pietatem in Deum et ad ceteras virtutes, ſcientiamque rei familiaris regendae, adducta. Sic ergo et refectae corpore et conformatae

animo, cum annum ageret vicesimum, adiecit oculos D. Christianus Gottlieb Ludwigius, Vir Celeb. eiusque animo sibi conciliato, duxit in matrimonium, fecundum illud quidem, sed cum magnis molestiis et aerumnis. Nam quem primo partu edidit filium, Io. Christianum, is altero vitae anno aegrotare graviter coepit, nec convaluit. Ea valetudo pueri et multo magis mors ita fregit matrem, vt et imbecillitate corporis permagna opprimeretur, et variis saepe morbis infestaretur, in primis ex hypochondriis et laeso ventre imo. Itaque partus posthac difficiles et parum felices habuit. Nam cum quinquies masculam prolem enixa sit, vna tantum, eaque septimo mense edita, vitalis fuit. Vltimum, sed maturo partu, edidit filium, Christianum Fridericum, anno aetatis tricesimo, qui cum altero illo, Christiano, mortem matris optimae luget. In tanta autem corporis imbecillitate, quam et tranquillitas animi et severitas diaetae sustentabat, ita vigebat animus, vt et rem familiarem rite curare, et prospicere suis posset. Sed anno superiori, a vicesimo mensis Aug. die, ita acres habere coepit sensus eorum malorum, vt periculum subesse videretur. Expeditum est adversus id malum, quicquid et mariti et ceterorum amicorum solertia reperire poterat. Sed omnia vis mali superavit, cuius caussae post cognitae sunt. Nam colum intestinum, qua sinistrorsum flectitur, exitque sub lienem, non modo angustum supra modum erat, sed etiam concreverat cum diaphragmatis extremitate sinistra, eratque in tantam amplitudinem inflatum, vt ventriculi dextrorsum semoti locum repleret. Tum bilis reperta est iners a calculis, qui vesiculam felleam repleverant; vnde illae crebrae alui obstructiones ortae erant. Quorum malorum vim cum ars superare non posset, auctis indies angoribus, tandem inflammatio et sphacelus accessit, exiisque mors, die Septembris tertia, hora octava vespertina.

Et haec quidem corporis fuere et sensibus obvia: non vtique iucunda ipsi, neque cuiquam vel cernenti antea,

vel

vel cum maxime audienti aut legendo cognoſcenti: ad inviſibilia veniamus, quae ſub illa corpuſculi imbecillitate latuere, haud paullo melius et iucundius animis legentium ſpectaculum datura. Ac nos, miſſis, quae naturae et indolis erant, ea perſequemur ſola, quae vim virtutis et pietatis demonſtrent. Nam in illis beneficium modo naturae cernitur, quod gratulemur habenti, in his opus hominis, quod vere laudent et imitentur ſpectantes.

Ac primum ſpectaculo erat in omnibus iſtis malis tranquillitas perpetua animi, atque etiam, cum res et tempus ferebat, hilaritas oris ſermonumque. Non triſtitia in vultu conſpiciebatur, non querelae in ſermonibus audiebantur: etiam provocata vel cura vel dolore aliorum, aut verbis minuebat mala ſua, aut alio avertebat ſermones: ipſum ſenſum malorum ſorbere et vultu tegere didicerat, memoriam autem praeteritorum, in primisque in pueritia exhauſtorum, voluntaria oblivione ita deleverat, non modo nulla vt mentio in ſermonibus eſſet, ſed vt nec in factis vllum memoriae veſtigium exſtaret, omnia beneficiorum memoriae ſimillima eſſent.

Nec malorum ſuorum lenimenta petebat fuga laborum, parcens corpori et imbecillitati ſuae. Immo tanta cura rei domeſticae vniverſae, tanta ſedulitas in omnibus eius partibus obeundis, tanta induſtria erat, quanta in valido corpore eſſe poteſt; ab ipſo labore oblivionem et remedium malorum ſperare putares. Admonentium benevolentiam, vt conſuleret ſibi, nec ſupra vires laboraret, blando vultu excipiebat; a conſuetudine ſua non diſcedebat. Nam non ſua cauſſa laborabat, ſed officii, ſed mariti, ſed liberorum invicto amore incenſa, ſed amicorum et miſerorum cauſſa, quorum vel benevolentia, vel neceſſitatibus, ſupra quam dici poteſt, movebatur.

In amore quidem mariti et liberorum nihil viderit quisquam ardentius aut curioſius. Eorum bona ducebat ſua, eorum gaudiis gaudebat pro ſuis, incommodis autem, moleſtiis, in primisque periculis morborum, incredibili-

Digitized by Google

ter angebatur, cum contemneret ſua. Obſervare, concurſare, vigilare, fomenta ipſa admovere, medicamenta miniſtrare, eorum amaritudinem blanditiis, precibus minuere, conſolari, omnia vna facere, quae etiam diviſa fatigent plures. Nec ad iuvandos amicos vel mariti vel communes quicquam promtius fuit, non modo conſulendo et curando, rogando, ſed etiam agendo. Aderat ipſa in eorum incommodis, laborabatque vt in domeſticis; plane in ſocietatem malorum, etiam vbi opus eſſet, adferendo ac dando, veniebat. Ipſa experta malorum acerbitatem, miſeris ſuccurrere didicerat; quae eſt diſciplina miſericordiae et benignitatis efficaciſſima. Omnino mirabiliter ad benefaciendum facta erat, emollito ad id pectore, non modo priſtinarum aerumnarum ſenſu diuturno, ſed etiam benignitatis alienae memoria, per quam miſeriis illis ereptam et recreatam diximus. Quae tam facile obliviſcebatur malorum ſuorum, eadem beneficiorum memoriam conſtantiſſime retinebat. Itaque omnibus, qui premerentur aliqua neceſſitate, patebat eius benignitas, cuius haud quisquam fruſtra auxilium imploravit: nec aliud magis videbatur dolere, quam quod animi huius ſui voluntatisque prolixitati pares fortunae non contigiſſent.

Sed principatum virtutum omnium tenebat patientia, et in dolore ipſo conſtantia; cuius cum per omnem vitam documenta aſſidue dediſſet, in vltimo vitae actu dedit eiusmodi, vt prope fidem exſuperare videantur. Nam dolores quidem quam acutos, quam acerbos et aſſiduos, morbus ille fatalis, de quo ante expoſuimus, habuerit, etiam nihil tale expertis in promtu eſt intelligere. At ipſa, inter medios illos dolores, primum curam rerum domeſticarum non omnino dimiſit, multo minus ſuorum, quibuscum eadem, qua ſueviſſet, tranquillitate loquebatur, etiam cum marito filiisque mandata dabat, et conſilia ad mortem ſuam pertinentia. Sed res humanas ita curabat, vt longe magis curaret divinas

et

et coeleſtes, ad quas ſibi abeundum ſentiebat. Et ea patientia, ad quam per omnem vitam ſe exercuerat in tam larga et aſſidua materia malorum, magnam ei dabat facultatem, tranquille et accurate cogitandi, quorum cogitationem inſuetis patientiae primus talis morbi ac doloris impetus ſolet excutere, et, vt ille ait, expectorare. Vltimo quidem die vitae, cum mors ante oculos eſſet, ſudoribus iam frigidis per corpus manantibus, primum cogitationibus tranquille indulſit iis, quibus adverſus mortis timorem firmaretur animus, et ad ſpem vitae vere beatae mox adeundae attolleretur, nullo triſtitiae aut anxietatis ſigno edito: deinde marito, filiis, amicis, quotquot adeſſent, valedixit placida oratione; et, inter haec lacrimantibus omnibus, ipſa ſine lacrimis fuit. Nempe, in vitae curſu lacrimas dare iacturis rerum cararum, humanum eſt: cum ad metam veneris, et palma ante oculos eſt, alienae ſunt lacrimae. Nec tum iactura eſt rerum, quae ad te nihil poſthac attineant.

Haec vero tanta patientia quantam ſignificationem habeat pietatis Chriſtianae, vt nos non dicamus, tamen ſua ſponte videant omnes. Et ea in omni vita eius conſpiciebatur, nec modo externis et communibus ſignis ſacrorum publicorum privatorumque obeundorum, ſed etiam, et multo magis, actionum omnium conſtantia et ad legem divinam moderatione. In quo intelligi potuit, quanta vis eſſet pietatis, quae prima aetate ſuſcepta, habuerit materiam aſſiduam, per quam ſevere exerceretur ac firmaretur. Nam illa mala, quae tam mature in noſtram irruerant, cum opis humanae nihil appareret, efficacius eam abſtraxerant a rerum humanarum vanitate, converterantque totam ad Deum, in quo vno ſpes ſibi relinqueretur auxilii, ſolatii et tranquillitatis: confidimusque, animam piam, in illa nova et vera vita, inter liquidos felicitatis ſenſus, gratias ſaepe et egiſſe et acturam Deo, qui ſe hac via, aſperiori illa quidem, at tutiori, ad metam, ad illam beatam aeternitatem deduxerit.

Digitized by Google

Hanc Vos illi totis animis ita gratulamini, Cives optimi, vt eius exemplo admoniti atque incitati, ad eandem metam, ea quisque via, quam Deus oſtenderit, contendatis, pietate in Deum inter laeta et triſtia conſervanda et exercenda, et omnibus ad eam referendis; vt cum fatalis hora venerit, et ipſi placidum et tranquillum tranſitum ab viſibilium vanitate ad inviſibilium veritatem et aeternitatem habeatis.

Ita memoriam matronae optimae praeſtabitis, quae eius virtute atque animo digna ſit. Sed ei cumulum quendam addamus favoris in eos, quos viva tanto amore tantaque cura complexa eſt, optemusque, quod ipſa ſolebat enixiſſime optare, vt filii feliciter adoleſcant, conformatique Patris praeclara diſciplina, Civitati huic noſtrae, ingenio, doctrina, induſtria, laboris patientia, virtutis ſeveritate, boni publici amore, vtiliſſimi, hoc eſt, Patri ſimillimi fiant. P. P. Dom. p. Trin. a. C. cIɔIɔccLXVIII.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA

IO. CHRISTOPHORI GOTTSCHEDII

LOGICES METAPHYSICES POETICESQVE PROFESSORIS

In rebus iis, per quas populi a feritatis barbarie avocati ad humanitatis elegantiam excoluntur, non vltimum locum obtinet ſermonis cura. Nam primum humanitas ea, quae proprie dicitur, eſt in his, per quae ſecernimur a beſtiis, et ad dignitatem naturae et ad vtilitatem vitae. Sed in iis principatus eſt rationis, quae ſenſum veri et falſi, honeſtatis ac turpitudinis, ordinis et pulcritudinis habet, et orationis, per quam accipias ſenſus alienos et aliis impertias tuos: vtriusque autem ea eſt colligatio, vt eſſe neutra ſine altera, aut recte vſurpari poſſit, aut ad perfectionem elaborari. Itaque vt magis valemus ratione atque oratione, eo magis a brutis ſeiungimur et ſumus humaniores: nec aliam ob cauſam doctrinae eae, quae proprie ad rationem linguamque acuendam diſcuntur, humanitatis nomine ſunt adpellatae. Sed intelligitur etiam, dicique ſolet humanitas, quae cernitur in vitae totius cultu, praeſertim, qua pertinet ad conſociationem communionemque conſuetudinis, et in actionum omnium decore quodam, in ſenſus humanos incurrente cum aliqua ſuavitate. Ad hanc igitur valet plurimum, atque eius etiam neceſſaria et permagna pars eſt, ſermonis elegantia et pulcritudo. Neque enim ſatis humanus eſſe ac videri poteſt, qui habitu, cultu, geſtu ac motu corporis elegans ſit, voce ac ſermone abſurdus et barbarus, qui placeat oculis, offendat aures: eſtque natura ab-

abſurdum, in cetera vitae elegantia, munditie et vrbanitate, ſermonis ruſticitatem ac foeditatem probari ac ſervari; ſicut viciſſim non conſentaneum eſt, aures ſentire ſermonis vel deformitatem vel pulcritudinem, oculos autem eſſe hebetes ad ſenſum talem in vitae cultu et actione: nec male Graeci Latinique etiam vitae feritatem ac deformitatem, abhorrentem a dignitate naturae humanae, barbariem dixere; quod eſt proprie linguae ac ſermonis aſperi et inconditi vitium. Atque vt magis intelligatur vtriusque generis colligatio et quaſi cognatio; alterum genus elegantiae fere vel praecurrit, vel ſequitur alterum; denique vitia vtriusque ea, quae ſunt in nimis exquiſita, et naturalis ſimplicitatis modeſtiam excedente, et quaſi deliciante ac laſciviente copia et ornatu, mutuis illecebris et alimentis irritantur et corroborantur.

Non opus eſt, cauſas eius rei exquirere ſubtiliter; quamquam ſunt in promtu: ſatis eſt, eam omnium temporum ac populorum vſu firmari. Vitae cultusque humanioris auctores et principes fuiſſe Graecos, conſentientis antiquitatis teſtimonio conſtat. Sed eosdem, dubio caret, inſtituiſſe primos, ſermonem ad certas leges revocare, vt fieret conſtans et ſimilis ſibi: tum augere verbis et verborum formulis, ad diſtinctionem rerum illuminandam, et coniunctionis varietatem exprimendam aptis: orationem porro intra fines quosdam coercere, ne vagaretur, et ſine ordine ac modo funderetur, quam periodum vocavere: denique modis ac numeris inſtruere ad concinnitatem et ſuavitatem. Nec vero neſcit quisquam, aut negat, Latinos in vtroque imitatores Graecorum fuiſſe, et linguae Graecae elegantiam cum reliqua eorum humanitate ad ſe traduxiſſe. Enimvero, vt quondam Graecae copiae ac deliciae vitae ſermonem mollem argutiis ludentemque reddidere, initio facto in Aſia Graeca, quae fuit vitae copiis ac deliciis abundantior: ſic apud Romanos, ſub Caeſaribus primis, orationem eadem peſtis adflavit. Barbaries porro populorum omnium,

Digitized by Google

omnium, qui Septentrionis frigoribus relictis, temperiem coeli mitioris fecuti funt, humanitati locum facere coepit, non magis a vitae, quam a linguae melioris vfu pulfa.

Quo etiam melius de Patria merentur, magisque laudibus ferendi funt, qui curam linguae patriae emendandae ornandaeque fufcipiunt, et bene ac conftanter fuftinent: praefertim, cum nec parvi ingenii fit, nec levis diligentiae ac laboris, omnes eas, quas fupra defcripfimus, partes vel mediocriter exfequi, et in iis vtcunque fatisfacere et rei ipfius naturae, et bene intelligentium ingenioforumque fenfibus et iudicio. Nam oportet primum vniverfam tenere et communem linguarum bene cultarum, accommodate ad naturam rerum conftitutam analogiam, vel fua diligentia animadverfam, vel ab aliis notatam et praeceptis certis devinctam et expreffam, eique rudem et incertam fine legibus linguam conformare. Noffe vero etiam oportet linguarum elegantium in verbis fingulis formisque dicendi bona et copias, quibus lingua caret ea, cuius emendatio propofita eft; nec minus figuras conformationesque fententiarum aptas et ad brevitatem et ad concinnitatem, easque transferre, quoad analogia linguae propria patitur, vt fiat copiofior, fufficiatque tum difciplinarum artiumque fubtilitati, tum eloquentiae et poefeos vbertati. Nec modo aliena bona quaerenda funt, fed etiam nova parienda, quorum veluti femina funt in propria linguae indole et natura. Haec autem omnia quantum difficultatis habeant, et in intelligendo et in efficiendo, vel coniectura licet intelligere, et intelligeretur magis, fi earum rerum agendarum vias et rationes perfequi vellemus. Sed fcholam hoc tempore non fcribimus.

Enimvero haec ipfa tanta difficultas facit, vt aequiores effe debeamus iis, qui in hoc ftudio et conatu non vsque quaque felices effe videantur: non vt Amafanios et Rabirios et Catios (Cic. Acad. I, 2. 6. Epp. ad Div. XV,

XV, 16. 19.) feramus aut probemus, et ſi qui inſcitiam cum impudentia coniungant; ſed vt, quae ab his, qui rem tantam bono fortique animo adgreſſi ſunt, in eaque agenda et vrgenda ſtudioſe conſtanterque elaborarunt, ab his igitur quae bene acta ſunt, grati agnoſcamus et laudemus, curemusque etiam pro noſtra parte rem bene coeptam adiuvare. Neque enim ab vno, aut brevi tempore, in vllo genere perfectio attingi poteſt.

Neminem fore confidimus eorum, qui haec legerint, quin, quorſum pertineant, ſua ſponte intelligat, aut vllam aliam orationem aptiorem putet ornandae memoriae Io. Chriſtophori Gottſchedii, Viri Ampliſſimi, et cum aliis multis de cauſis celeberrimi, et de literis communique patria praeclare meriti, tum in primis propterea, quod et in emendanda ornandaque lingua patria, et in ſtudio eius excitando incendendoque praeter ceteros, per longam annorum ſeriem, egregie, nec infeliciter elaboravit. Quadraginta amplius anni ſunt, cum ab Monte regio Pruſſorum in hanc vrbem domumque Io. Burcardi Menkenii venit, hoſpes gratiſſimus Viro, qui, cum ceteris omnibus, etiam patrias literas et amarat a prima aetate, et callebat egregie, et coli non leviter volebat. Huius igitur auctoritate confirmatus incenſusque et augere ſcientiam facultatemque literarum patriarum, e diſciplina regiomontana, in primisque Pitſchiana deportatam, ſtuduit, et vero etiam ſcholas habere inſtituit, quibus non modo praecepta eloquentiae poeſeosque vernaculae traderet, ducta e Latinorum Francorumque fontibus, ſed etiam exerceret ad vtriusque facultatem iuvenes doctrinae elegantis ſtudioſos. Et facile animadvertebatur diſciplinae Gottſchedianae praeſtantia. Nam quicunque tum in eo genere diſcere volebant, in eam ſe dabant: fuitque ipſe per plurimos annos magiſter eius generis communis et vnicus. Itaque ex ea ſchola exorti ſunt, et ſe profectos fatentur propemodum omnes, qui poſt eum laudem bene dicendi ac ſcribendi vernaculo ſermone conſecuti

Digitized by Google

cuti sunt, Ierusalemi, Kaestneri; Crameri, Rabeneri, Gellerti, Schlegelii, Zachariae, Weisii, longa serie alii. Et erat in eo ardor ille, in quo est magna boni magistri pars, coniunctus cum industria singulari, per quem ingenia incitabat, vrgebat, prope cogebat assidue legere, scribere diligenter, et, quae scripta essent, bene pronunciare. Acuebat etiam commentandi diligentiam monendo, castigando, etiam interdum severius, sed vt benevolentia appareret. Qui profecissent, eos hortabatur, vt privatim congressi, recitarent, quae aut exercendi aut edendi caussa scripsissent, ea mutuis severisque admonitionibus castigatiora redderent, atque ita paullatim ad laudem bene dicendi ac scribendi procederent. Et audivimus, qui iucunde commemorarent illarum congressionum castigationumque severitatem, easque sibi plurimum profuisse faterentur.

Erat a multis annis instituta sodalitas quaedam eleganter doctorum virorum, qui statos conventus haberent poeseos germanicae exercendae causa. In eam cum esset receptus, suffragante Menkenio, qui totam illam rem gubernabat, celeriter inter sodales studio insignis factus, vniversis suffragiis primum locum, Senioris nomine, obtinuit. Tum vero totum illud institutum acrius coepit vrgeri et latius aperiri, vt et eloquentiam complecteretur et literaturam germanicam vniversam. Ipse, quoscunque consiliis communibus idoneos cognosset, allicere modis omnibus, incendere studio suo ad iuvandum ornandumque institutum consulendo, inveniendo, scribendo, quod prodesset eloquentiae, poesi vernaculae, literis illis vniversis. Itaque plurima deinceps volumina libellorum ex eo genere ab sodalibus scriptorum, et communi iudicio probatorum, prodiere, et separatim cum ipso non pauci ex iis laudem sibi scribendo peperere.

Nec earum rerum vis intra sodalitatis fines constitit; sed alios contigit permultos, qui hoc exemplo incensi, et gustu quodam elegantioris sermonis, ab eorum libello-

rum

Digitized by Google

rum et ſcriptorum lectione, imbuti, imitari eam rationem, et perſequi in dicendo et ſcribendo nova bona coepere: vnde paullatim aliam formam accepit ſermo patrius, ſuperiori illa profecto, quae publice privatimque valebat, meliorem. Quae res ab initio habuit invidiam, vt fit, apud eos, qui in vetere ratione, quia ſua eſſet, minusque diligentiae opus haberet, nihil novari volebant; ſed vicit veritas et melior cauſa. Itaque, ſi verum volumus dicere, plurimum in ea re debetur Gottſchedio; non quo ille primus aut ſolus iſta invenerit, praeceptis, exemplo docuerit: nam et alii ante ipſum fuere: ſed quod ille induſtria, et invicta animi conſtantia perfecit, vt, quod fuerat pauciſſimorum, fieret, ſitque cummaxime, quam plurimorum, non modo apud nos, ſed etiam apud alios. Nam et Sodalitatis illius inſtitutum, quod ipſo gubernante maxime inclaruit, in clariſſimis Germaniae Academiis ad imitationem vocari coepit, et libri Gottſchediani per omnes Germaniae partes divulgati lectique ſunt, denique diſcipulorum permulti eius diſciplinam in alia loca detulerunt.

Sed vt magis forma vniverſa totius muneris illius appareat, age, quid et quomodo ab eo actum ſit, vt lingua patria ad ſimilitudinem earum revocaretur, quae elegantiorum hominum iudiciis probantur, adſumeretque paullatim earum bona, quibus quaſi gradibus in eâ re progreſſus ſit, breviter commemoremus. A Monte regio attulerat eloquentiae, tum vniverſae, tum maxime vernaculae, ſenſum non abſurdum, nec contemnenda initia: audierat enim Quandium, Lilienthalium, et, quem in primis laudare ſolebat, Kreuſchnerum, diſertos et elegantes oratores in Eccleſia Montis regii: at praecepta dicendi nulla norat, quam quae a praeceptore Rhodio acceperat, ſimilia iis, quae in cetera Germania valebant, in libellisque germanicis vulgaribus de arte oratoria tradebantur, ad quae vulgo dirigebant homines conatus dicendi, ſive potius ſine gravitate et gratia garriendi. Ea re

re animadverſa, monuit eum Menkenius, vt iſtis nugis ſpretis, veteres artis magiſtros, Ciceronem, Quintilianum, et ſi qui eſſent his ſimiles, adiret verae eloquentiae diſcendae cauſa. Paruit eius auctoritati, ex illorumque libris tum praeceptorum ſilvam in modicum corpuſculum redegit, quo in docendo vteretur. Id ille non ſtatim, vt nunc faciunt multi, cum vix ad docendum acceſſere, in publicum edidit, ſed per ſingula ſemeſtria inter docendum emendare, augere tentavit et locupletare, denique fingere diligentius: et ſic demum, vt ſcribendi laborem demeret auditoribus, formulis librariis exſcribendum permiſit, adiuncta verſione germanica libelli veteris de cauſis corruptae eloquentiae. Hoc corpuſculum praeceptorum ille quidem poſthaec magis magisque expolivit, etiam auxit, additis inter alia quibusdam proprie ad eloquentiam eccleſiaſticam pertinentibus, quae ab iis parum aequis animis accipiebantur, qui ea ſuis diſſimillima videbant; ſed etiam maius eiusdem argumenti opus perfecit, adiectis exemplis praeceptorum omnium. Vtrumque ſaepe repetitum eſt: adeo probavit ſe multis.

Sed praecepta magis valent ad iudicandum, quam ad faciendum; viam demonſtrant, qua eundum ſit, ſed vim ingrediendi non dant. Itaque fecit alterum, quod proprie facit ad transferenda linguarum bona, a quo in linguis aliis, vt latina, francica, factum eſt expoliendi, locupletandi et ornandi initium: coepit exempla graeca, latina et francica, germanice interpretari, Demoſthenis Philippicas, Luciani quaedam, Ciceronisque Archiam et Ligarium, non verbum de verbo, nec ad ſummam veritatem grammaticam interpretando, ſed ſententias earumque formas verbis ad germanicam conſuetudinem aptis vtcunque exprimendo, quod erat ad illud conſilium ſatis; itemque Flechierii Turennium et Fontenellii quosdam ſcriptos in ſermone ac dialogo lepidiſſimos libellos. Atque ipſius exemplum ſecuti tum ſodales eius in Collegio, de quo ſupra diximus, tum alii, multa de iisdem fontibus

per

Digitized by Google

per verſiones in linguam noſtram transfundere inſtituerunt, longe illi diſſimiles his, qui nunc, vnius quaeſtus cauſa, promiſcue omnia Francica et Britannica faciunt Germanica, vtilitatis communis immemores ac negligentes.

Eandem viam in re poetica ingreſſus eſt. Attulerat enim ille quidem in hoc quoque genere guſtum quendam haud vitioſum, a Pitſchio, egregio poeta, acceptum, et bonis quibusdam exemplis legendis, acueratque eum etiam naturalis quidam ſenſus recti in eo genere et pulcri; ſed praecepta pariter nulla didicerat, praeter vulgaria, vt Menantis cuiusdam. Deduxit eum hic quoque in viam Menkenius, cuius ab admonitu legere coepit Ariſtotelis Poeticam, Rappoltique, noſtratis, ex Ariſtotelicis ductam, Scaligeri de re Poetica opus, libellosque eiusdem argumenti Francicos plures, quos Bibliotheca Menkeniana ſuppeditabat. His igitur legendis cum veram poeſeos naturam cognoviſſet rectius, rogatus ab nonnullis, vt ſibi artis illius praecepta traderet ad eum modum, quo rhetorica ſoleret, ea coepit ita ſcribere, vt duodecim capitibus vniverſam artis naturam vtcunque adumbraret. Ea initia primum lectionibus explicavit aemulantibus poetici artificii ſtudia; paullo poſt diligentius elaborata edidit ſub *Artis Poeticae* nomine, addita Parte altera, quae de generibus Carminum explicaret, primum (vt quarta repetitio habet) antiqua et communia, deinde noſtratia et nova. Addidit etiam verſionem poeticam Artis Horatianae, quam, ipſe fatebatur, ſe, lectis demum illis, quos diximus, magiſtris, intelligere coepiſſe. In qua verſione etſi quaedam abhorrere videbantur a verborum Horatianorum ſenſu: nam et Dacierius et alii interdum aberravere: tamen ſumma rei ſalva erat, quam maxime et ipſe ſpectarat, et ab aliis ſpectari volebat. Sed opus hoc admodum offendit poetaſtros et vulgaris rationis magiſtros, qui ſe nullo numero fore intelligebant, ſi haec demum vera poeſis eſſet, quam Ars illa traderet et com-

commendaret: ceterum probabatur vehementer ab aliis. Ac profecto haec Ars docuit multos rectius de re poetica iudicare, et rectos de ea sensus, qui antea perpaucorum, h. e. eorum modo fuerant, qui literas Graecas et Latinas egregie callerent, latius propagavit. Nam quod non omnibus satisfecit vniversis partibus suis: nec erat exspectandum, vt tale opus statim haberet omnes numeros, nec ipse ita de eo iudicabat. Itaque quoties repetendum erat, castigabat, nec facile se lenibus monitoribus asperum aut repugnantem praebebat.

Sed ad huius artis praecepta, tum in aliis generibus carminum curam scribendi dirigebat, quod et multi alii de disciplina eius, familiaresque et sodales in Collegio, quod supra commemoravimus, ipso praeeunte, faciebant, tum maxime in genere dramatico, ad quod studium suum paullo post in primis contulit; in eoque et ipse, et eius exemplo incitati multi alii, egregie elaborarunt, ac per hoc ipsum, de lingua certe patria, bene meriti sunt. Atque vt de genere hoc vniverso dicamus, quod et instituta oratio requirere videatur, et non sit alienum a laudibus Gottschedii: totum illud poetarum artificium, scenae serviens lusibus, rationem ab initio habuit hanc, vt vitia vitae communis ac civilis imitationis leni irrisione corrigerentur, nec modo, quae essent in actionibus et moribus, incurrentibus cum aliqua molestia in sensus hominum, sed etiam in sermone. Postea longius spectare coepit poetarum ingenium, sententias graviores de rebus divinis et humanis inserendo fabulis, in primis tragicis, vt a Sophocle et Euripide factum videmus, et vero etiam comicis, vt praeclara illa e Menandro, Philemone aliisque excerpta demonstrant, ab ipsis Ecclesiae Christianae Doctoribus, a Clemente inde Alexandrino, saepe commemorata, et ad illuminandas disputationes suas vsurpata, ad extremum etiam sub certa capita redacta, vt velut corpusculum Theologiae naturalis et doctrinae moralis efficeretur, in quo, vt B. noster Lutherus et Phi-

H lippus

Digitized by Google

lippus Melanthon loquuntur, ſonaret vox naturae, non obſcurius, immo etiam clarius, quam in diſputationibus philoſophorum ipſis. Poetae autem ii, qui fabulas Comicas ſcripſere, ſibi velut magiſterium linguae ſumſerunt, primum hactenus, vt veram eius elegantiam puritatemque exprimerent, vnde, vt hoc vtamur, Ariſtophanes pro Canone Atticismi ſemper habitus eſt; deinde, vt vitia ſermonis, non modo popularis, ſed etiam oratorii, tragici, omninoque poetici, notarent; vt totus Ariſtophanes docet, ſi quis intelligere et diſcernere poteſt ea, quae pro ſuis, et quae irridendi cauſa ponit: eſt enim obſervatio eius diſcriminis non nimis facilis, et elegantis iudicii. Non dicemus, quomodo ab his conſiliis et inſtitutis aberrans conſuetudo poetarum et ſcenae lapſa, infamiam contraxerit multis et iuſtis cauſis apud graves viros, in primisque Chriſtianos, quorum etiam diſciplina, haud paullo gravior et certior, ſupervacuam fecerat ſcenicam; ne et ipſi longius ab inſtituta oratione aberremus: illud non alienum eſt dicere, cum hoc genus poetices dramaticum inter ipſos Chriſtianos vſurpari coepiſſet ac tolerari, haec ratio haberi debuerat, vt eſſet ſententiis et verbis rectum et purum, delectaretque honeſte et cum aliquo ad decus et elegantiam vitae communis et civilis, ſermonis popularis certe, fructu. Enimvero, in Germania, ne de aliis populis dicamus, quale fuerit ſuperioribus temporibus ad noſtram vſque aetatem, ſi quis eius rei cognoſcendae curioſus ſit, facile cognoſcat. Erat vtique et rebus atque ſententiis humile, ieiunum et ſordidum, plenum ſalibus inſulſis et abſurdum verbis. Itaque etiam ab ipſis Germanis, vel qui non alieni eſſent ab oblectationibus ſcenicis, repudiabatur. Noſter ergo Gottſchedius non alienum putabat a ſua, Poetae, profeſſione, huius rei curam ſuſcipere, eamque conſulendo, monendo, praecipiendo ſcribendoque ad priſtinum et verum conſilium vſumque revocare. Scribendi quidem, et fabulae ſuae ferendae initium fecit in *Catone*, quem decies

Digitized by Google

decies repetitum, toties paene emendavit: ſed multo plures de Francicis vertit et ipſe, et per alios verti curavit. Sua et *Adelgundae* ſuae exempla ſex deinceps voluminibus bis edidit. Vt paucis abſolvamus, Franci quidem ipſi, quorum in eo genere elegantius iudicium putatur, Gottſchedium de hac parte carminis germanici, deque vniverſa re ſcenica, primum bene meritum eſſe fatentur, nuper etiam illuſtris *Hiſtoriae ingenii humani* Auctor (T. XI. p. 297.).

Poſthaec omnia, poſt tam longum vſum, ad Grammaticam linguae Germanicae ſcientiam popularibus ſuo modo tradendam adiecit animum, abſolutumque opus novum, poſt diuturnam cunctationem demum, ante hos vndeviginti annos, primum edidit, quater deinceps caſtigatum ac repetitum intra quindecim annos, profeſſus difficultatem rei, et timorem ac verecundiam iudicii publici, denique voluntatem parendi monitoribus peritis; quam re praeſtitit per omnia nova recenſionum exempla. Expertus eſt cenſores multos, non modo lenes, qui adnotatiunculas privatim ad eum miſere, ſed etiam publicos, quosdam et ſeveriores. Quae res nihil habere debet admirationis in noſtra lingua, in qua conſentire Grammatici quomodo poſſunt, cum et diſſentiant Graeci et Latini. Eſt etiam Grammatica res infinitae obſervationis, in minutisque rebus ac ſingulis ſaepe literis verſatur; in quibus aliquid, immo multa praetermitti, aut peccari, prope neceſſarium eſt: quippe in Latinis, poſt tot ſeculorum, totque eruditiſſimorum virorum ſtudia et obſervationes, tamen ſubinde aliquid deſiderant, qui attentius vſum loquendi latinum obſervarunt. Verweius quidem, (*Nova Via docendi Graeca*, *praef. p.* 7.) vt de Graecis dicamus, quatuor Grammaticos ſcribit eſſe coniungendos, Wellerum, Caninium, Sylburgium et Vergaram, ſi quis Grammaticam Graecae linguae perfecte cognoſcere velit. Et quam multa, poſt hos quoque, rectius ac diligentius obſervata ſunt in ſingulis partibus Grammati-

ces Graecae et definita? Quae nobis quidem videntur desiderari posse, eorum quaedam, velut temporum definitio, eorundemque et modorum consecutio legitima et accurata, ea ergo pariter in Grammaticis Graecae et Latinae linguae libris superiorum seculorum desideramus.

His commemorandis arbitramur nos effecisse, vt omnes intelligant non modo id, quod maxime volebamus, et quod erat propositum, hoc est, a quibus initiis, quibus gradibus, et qua progressione tum discendi, tum agendi, institutum suum sit persecutus, sed etiam alia non contemnenda, nec parum laudanda. Nam primum viam ipsam rectam esse, qua ingressus sit, qui initio a veteribus exemplis bene dicendi ac scribendi facto, et inde artis praeceptis haustis, bona aliarum linguarum in nostram, primum vertendo, deinde imitando, paullatim traducere, denique, post haec omnia, regularum vinculis adstringere modum sermonis patrii tentarit, id supra quidem iam ex parte admonuimus. Non autem hoc est optimi ingenii, quod, cum sibi iam aliquid esse in dicendo et scribendo videbatur, iam doctoris artium nomen et honores gerens, tam promte et facile paruit recte monenti, praesertim ea aetate, quae vel maxime, propter imbecillitatem iudicii, solet esse praefidens sibi, et monitoribus non nimis facilis? Quis ergo dubitet, si ei in tempore, cum in Regio monte disceret artes, monitor quidam talis obtigisset de literis Graecis et Latinis supra vulgarem rationem exquisitiusque discendis, quin promte studioseque eius auctoritati obtemperaturus fuerit? Illae vero perpetuae in singulis librorum editionibus castigationes eorum, quae vel sua sponte, identidem examinando, quae ante scripserat, vel ab admonitione aliorum, animadverterat, correctione aliqua vel accessione opus habere, quam diligentem modestiam arguunt?

Sed in tota illa causa non parua adiumenta habebat a Philosophia, cuius scientia et vsu mature ingenium acuere tentarat, vsus praeceptoribus bonis et fidelibus. Eius autem

autem diſciplinae adiunxerat etiam doctrinas mathematicas, ſive, quia genus Philoſophiae, quod primum a magiſtris Regiomontanis traditum tenebat, plus ceteris tribuit mathematicae ſubtilitati, eiusque diſciplinam commendat diligentius, ſive aliis quibuscunque de cauſſis. Sequebatur in Philoſophia vniverſa rationem Leibnitianam, a Wolfio illuſtratam et propagatam latius, ſed, vt ingenia non obtuſa ſolent in omni ratione philoſophandi, modo quodam ſuo et iudicio: diſſenſeratque ſtatim a principio in quibusdam eius diſciplinae propriis placitis, vt de modo coniunctionis, quae corpus animumque intercedit. Sed hac maxime de cauſa ſibi in primis eam diſciplinam dicebat probari, quod ordine et perſpicuitate ceteris praeſtaret, in quo ne adverſarii quidem eius diſciplinae obloqui audeant, veriſſime iudicans, in his duabus rebus eſſe diſciplinae Academicae, vt in omni genere, ſic maxime in Philoſophia, caput. Nam res ipſae, maiores quidem, et maxime neceſſariae, fere ſunt communes omnibus: Summa boni doctoris eſt in adſuefaciendis diſciplina ſua ingeniis ſentiendae primum, deinde imitandae in diſſerendo perſpicuitati rerum et verborum, et ordinis deſcriptioni: cum ſecus eſt, etiamſi optimae res ſint, magis non intelligendi, quam ſapientiae diſciplina iudicari debet. Primus noſter huic Academiae Wolfianam illam rationem intulit, imitatorem mox nactus Ioecherum. Vtebatur primum Compendio Thumigiano; mox ipſe vernaculo ſermone exemplum illius diſciplinae prodidit, et brevitate et perſpicuitate aetati iuvenili accommodatum, cuius ſeptima recenſio facta eſt ante hos quinque annos. Nec noſtris modo placuit opus: etiam externi ſuum facere inſtituerunt. Nam et Danice et Polonice verſum eſt. Deſcriptio operis haec eſt: inſtrumento recte philoſophandi et eius vſu tradito, notionibusque rerum ſummis explicatis, primum rerum corporearum, deinde intelligentium naturam demonſtrat: poſt iura et officia humana, denique domus et reipublicae

bene regendae modum exponit. Philosophiam eandem quam sapientiam facit, a qua Philosophi iidem Sapientes olim dicti; sapientiam autem, Leibnitium secutus, facit felicitatis scientiam, intelligens humanam; nam divinam omnem ad consiliorum bonitatem referebat. Ad hanc definitionis veluti finem totam explicandae disciplinae rationem dirigit, quod est ei proprium. Praemissa est brevis Philosophiae historia. Quae per varias occasiones Academicas de quaestionibus philosophicis scripsit, quae sunt bene multa, commemorare non est necesse. Et nos festinamus totum Gottschedium, quibus parentibus ortus, quibus magistris vsus sit, quem cursum totius vitae tenuerit, breviter describere, posteaquam eum, vt doctorem, et praecipua sui parte, spectandum proposuimus.

Natus est in villa haud procul a Monte regio in Prussis, Iudithae templum loco nomen fecit, Patre Christophoro, qui in ea villa sacra curabat, die Februarii altero, anno superioris seculi vltimo. Praeceptorem pueritiae habuit Patrem ipsum; e cuius disciplina missus in vicinam Academiam, vsus est praeceptoribus, in humaniori quidem disciplina et Philosophia, Gerkio, Rhodio, Meiero, Henrico Sandio, Kreuschnero, Fischero, Blasingero, Strimesio, Rastio et Behmio, in literis hebraicis, Hahnio et Wolfio, in Theologia denique, Quandio, Sandio, Langhansio, Lysio, Masecovio et Lilienthalio. Cum novem annos in horum disciplina, quae traderentur audiendo, quae audierat exercendo et agendo, consumsisset, etiam famam aliquam disputando, dicendo scribendoque collegisset, Magistri artium et philosophiae honoribus acceptis, pro Cathedra disceptavit Diatriben *de genuina omnipraesentiae divinae notione*. Anno post, periculo antiquo territus, concessit in hanc Vrbem, datoque nomine Civitati nostrae, iura Magistrorum nostrorum adeptus est Disputatione publica, super proposito de *Hamartigenia* libello, in quo res erat secundum Leibnitianam rationem explicata.

cata. Secundum haec locus ei datus eſt in Collegio Mariano, qui ab Hanſchii diſceſſu ex hac Vrbe vacabat. Ex eo Collegio poſt in Principale maius tranſiit. Praemia alia doctrinae et meritorum habuit haec: primum Poeticam extra ordinem profiteri iuſſus eſt; quatuor annis poſt Dialecticam et Metaphyſicam publice inter Profeſſores ordinarios: acceſſit Ephoria alumnorum Principalium, Collegii denique Paullini cura. Magiſtratu Civitatis noſtrae ſexies, Ordinis philoſophici octies functus eſt. Conditiones externae aliquoties ei oblatae ſunt, primum Petroburgenſis, poſt Francofurtana, denique Marburgenſis, cum Wolfius Halam revocatus eſſet. Sodalitium literarum Germanicarum apud nos rexit annis duodecim: Regiomontano et Goettingenſi Sodalis honorarius adſcriptus, et Collegiis doctrinarum pluribus aſcitus eſt Sodalis, Berolinenſi, Monachienſi, Auguſtano, Maguntino. Matrimonium bis iniit: primum a. MDCCXXXV. cum Ludovica Victoria Adelgunda, D. Io. Georgii Kulmuſii, Medici Gedanenſis clariſſimi, filia; de cuius ingenio, doctrina, virtute longum ſit dicere: dixit ipſe felix eo coniugio maritus, qui poterat optime. Eam cum amiſiſſet e gravi et diuturno hydrope, ad alterum matrimonium adiecit animum, duxitque Erneſtinam Suſannam Catharinam, Viri generoſi et ſtrenui, Ioannis, e Neuneſiis, Protribuni in Cohorte Ducis Gothani filiam, animi corporisque dotibus ornatiſſimam: quacum iucunde vixit annum totum. Eo vertente, media ſuperioris anni aeſtate, invaſit eum hydrops, quo paullatim confectus, leniter exſpiravit die XII. Decembris.

Ita amiſimus Virum ingenii excellentis, doctrinae multae, laboris efficacis et invicti, multis modis de re communi literarum meritum: amiſimusque ante multo, quam putaramus, corporis robur animi vigore aeſtimantes. Et erat ei corpus bene compactum et validum, firmisque lateribus: ſed laboris multitudo paullatim adfecerat, imique pedes ante multos annos tumorem con-

traxerant ab ſedendi aſſiduitate, quem nec thermarum nec alia remedia diſcuſſere: ceterum ex eo nihil incommodi ſentiebatur. Is repente ſublatus praecordia invaſerat, nec remediorum, naturalisque roboris vi expugnari et detrahi ſede ſua, ſalvo domino, potuit. Nam in eo conatu naturae, per quem eſt expulſus, omnis vitae vis ita eſt conſumta, vt languore paullatim deficeret, qui morbi ipſius vim ſuſtinuiſſet et fregiſſet.

In tam diuturna et gravi valetudine in primis ſuſtentabatur et recreabatur, tum ſermonibus et ſolatiis Coniugis fideliſſimae, tum et ipſius et Socrus indefeſſa et exquiſitiſſima cura, amicorum crebris alloquiis, in primisque Viri Rev. I. A. Scharfii, cuius etiam de manibus viaticum corporis et ſanguinis I. C. religioſe accepit. De animi in eo periculo habitu interrogatus ab Theologo amico, ita ſe adfectum eſſe, magna oris conſtantia et tranquillitate, reſpondit, vt nec vivere, ſi Deo videretur, nec mori nollet.

Omnino erat in eo animus fortis et robuſtus, nec minus acer ac ſtrenuus. Facile et aſſidue laborabat, et brevi tempore multum profligabat: habebatque ingenii pariter atque animi celeres motus, in his eum, quem Ariſtoteles ingenioſis communem facit, h. e. iracundiam, ſed quae plerumque non minus celeriter deflagraret, quam exarſiſſet. Itaque interdum aſperior in adverſarios reperiebatur: ſed nec facile quisquam acerbiores eſt expertus. Nec aliam ob cauſam interdum vel extollere ſupra modum videbatur literas ſuas, vel deprimere alienas, quam quod alienarum laudes ad contemtum ſuarum, aut ſuimet ipſius, de induſtria trahi viderentur.

Modeſtiam in iudicando de ſe ac decernendo de rebus literarum, cuius facile ac nimium ſaepe oblivio venit iis, qui in aliquo genere doctrinae diutius, in primisque docendi cauſa, et cum laude multorum, verſati ſunt, eam igitur modeſtiam haud facile deſideret iudex non iniquus in eo, qui tam ſaepe in rebus difficilibus et obſcuris liberum

Digitized by Google

rum iudicium aliis reliquerit, etiam contra ſuam opinionem, vt in capite eo, quod animi cum corpore coniunctionem explicat. (*Philoſ. P. I.* §. 1077.). Et tamen in rebus magnis et vtilibus libertate iudicandi, vel contra aliorum opiniones, et cum invidia ſua, vtebatur, nec per inanem modeſtiae ſpeciem deſerens cauſam, quam probaret, nec aſſentandi fraude captans gratiam cuiusquam.

Docendi commendatio multiplex erat: prima perſpicuitatis, quae intelligendi difficultatem etiam valde mediocribus ingeniis demeret: altera gratiae, quae diſcentium animos facile teneret. Ea non illiberalibus iocis, aut aliis ſordidis artibus erat quaeſita, ſed ab orationis elegantia nata, nec minus ab ipſo vocis ſono, qui etiam animi quandam contentionem indicabat, cupientis et laborantis penitus imprimere audientibus, quae traderentur. Et ſermone vernaculo vtebatur, non ad negligentiam loquacitatis, quae res vtcunque cognitas aut cogitatas, verbis temere oblatis nulloque delectu, profunderet, neque ad licentiam iocandi aut maledicendi, ſed ad exemplum bene diſſerendi ſermone patrio, hoc eſt, ſimillimo ei, quo in ſcribendo vteretur.

In omni autem genere ſcribendi nihil tam ſequebatur quam perſpicuitatem et ſimplicitatem, quae et ipſi perſpicuitati ſerviret, et naturae facilitatem imitaretur: vnde quibusdam interdum, ſive ita erat, ſive videbatur, tenuior iuſto et languidior credebatur, praeſertim in carmine, quam dignitas rerum et carminis pateretur. Et facilis eſt lapſus in contrarium, ſi quid ſtudioſius vel ſequare, vel vites: nec quisquam in ſcribendo ſemper eſt ſimilis ſibi: quippe nec ſemper eadem diligentia vti poſſumus, praeſertim in vita occupata, nec ſemper eodem quisquam modo eſt in ſcribendo adfectus. Itaque Plinius in edendis epiſtolis delectu ſibi opus eſſe exiſtimabat, vt tantum accuratius ſcriptarum rationem duceret. Quo delectu, praeſertim in carminibus edendis, occurri tali reprehenſioni potuiſſet. Ac putabat, tolerabilius

in hanc partem peccari, quam in alteram illam, in quam nimio plus proclives nunc esse scriptores, iure querebatur. Nam et densandis nimis sententiis, praesertim quaesitis et contortis, obscurare orationem, et verbis male novis, atque ad francicarum britannicarumque argutiarum imitationem factis, fucare et corrumpere.

In amicitiis expetebat maxime studiorum communionem, easque colebat officiis mutuis. In iuvandis quidem amicis, itemque ingeniis bonis, vel consulendo, vel agendo, nihil eo studiosius atque promtius vidimus. Nec semper bonam gratiam tulit.

Neminem, vt opinamur, plures adversarii exercuere: sed nec quisquam facile ex hoc literato vitae genere plurium Principum gratias meruit. Nam ornatus est iudiciis, significationibusque multorum luculentis, donis etiam, in his Mariae Theresiae Augustae, Regis Prussorum, Friderici Christiani, Patris, et Mariae Antoniae. Posteritas, obrutis invidiae odiorumque caussis, controversiarumque memoria obliterata, cum solam rem caussamque videbit, omnium de Gottschedio iudicia sic aequabit, vt de sermone patrio et omni bene dicendi ac scribendi genere, quae est non parva res, immortaliter meritum esse, omnes fateantur, et initia melioris sermonis et elegantioris ab ipso ducant. In cuius laudis societatem veniet vel maxime Academia nostra, in qua id lumen literarum luxisse patriae communi feretur.

Quo magis convenit, nos, Cives Optimi, favere memoriae Viri talis, eamque, ante capienda temporis futuri aequitate, iustis laudibus prosequi, nec committere, vt posteritati isti vel, propter inscitiam, non vidisse bona ab eo orta, vel, propter etiam turpiorem caussam, agnoscere noluisse videamur. P. P. Dom. II. p. Epiph. a. C. cIↃIↃCCLXVIII.

MEMORIA

MEMORIA
FRIDERICI AVGVSTI IVNII
I. V. DOCTORIS ET CIVITATIS LIPS. SENATORIS

Alienum esse ab hominis natura dolorem, tum alia arguunt, tum insitus ei et cum omnibus animantibus communis metus in doloris imminentis suspicione; sensus deinde ipse in doloris praesentis tormento, repellens, quantum potest, amoliensque caussam rei tam ingratae; denique non minor suavitatis appetitus, et, dum ea percipitur, hilaritas animi, amplexantis omni modo id, vnde illa ad se pervenit. Et tamen, vt rerum adversarum omnium acerbitas facilius toleratur ab animo humano, quam rerum secundarum suavitas; sic et corpora hominum citius debilitantur ac franguntur mollibus voluptatum fomentis, quam acribus dolorum morsibus: et cum corpus celeriter rerum dulcium, si assidue et copiose sumantur, fastidio fatigetur: doloris contra assiduitate ad perpetiendum firmatur, vt etiam minus doleat; ipsa consuetudine vim doloris frangente paullatim et minuente. Quam multi vitam inter multos et saepe magnos dolores ad senectutem traxere, dum alii multi bonae valetudinis fiducia ruerent, et per res iucundas vitam praecipitarent? Incredibile dictu est, quantis dolorum tormentis restiterint corpora multorum, etiam non nimis valida, quae longe minor et brevior voluptatis impetus peremisset.

Quae igitur est huius velut dissentientis a se naturae et secum pugnantis caussa? quid illam deinde discordiam com-

componit ad naturae humanae incolumitatem et diuturnitatem? Dolor eſt adverſus et inimicus naturae corporis humani: nam vim ei facit et minatur interitum: at in dolore citius perdurat corpus, quam in ſuavitate, quae dolori e contrario reſpondet, meliusque illius vim et quaſi iniuriam fert natura, quam huius gratiam et blanditias: prope vt optabilior doloris quam ſuavitas ſenſus videri poſſit. Non indigna res videtur, de qua quaeratur, et ad cognoſcendi iucunditatem et ad vitae vſum. Hoc igitur, pro conſilio hoc ſcribendi et pro facultate noſtra, faciemus.

Scita eſt Socratis quaedam in Platonis Phaedone de voluptate et dolore diſputatiuncula, non longe a principio: in qua dicit, mirabiliter ſic eſſe conſtitutum natura, vt dolor et voluptas, quia ſimul eodemque tempore movere corpus humanum non poſſent, tamen velut extremis verticibus copularentur, doloremque voluptas, voluptatem viciſſim dolor ſequeretur. Nam plerumque voluptas, vt quaeque acrior eſt, ita magis ac celerius dolore expiatur, et voluptas quaeque honeſtior et conſtantior laboris dolorisve moleſtia emitur. Nec inter laboris et doloris moleſtiam multum intereſt, habetque apud Graecos vterque idem nomen: quamquam id reprehendit, et pro inopia graeci ſermonis irridet Cicero in Tuſculana altera; haud ſcio an temere, qui ipſe non dubitet doloribus pedum, oculorum et aliarum partium corporis humani afflictos, laborantes e pedibus etc. dicere. Ipſa doloris depulſio et vacuitas, ſi nihil aliud ſequatur, gratum certe ſenſum habet, commendatque etiam quotidianas et contemtas oblectationes: viciſſim a voluptate omni fere languent animi et corpora; et vel ipſa velut amiſſio ſenſus grati habet aliquid moleſtiae, ſaepe tantam acerbitatem, quem dolorem nemo dubitet appellare. Sed agendum eſt preſſius.

Atque vt a voluptate incipiamus, non eſt mirum, ſi eam haud facile aut diu tolerare corpus humanum poteſt, cum

Digitized by Google

eum in ea nihil insit, quod roboret corpus animumve, aut vim insitam excitet augeatque: omnia, quae frangant opprimantque. Nam robur vel acquiritur vel augetur contentione tum ad agendum, tum ad resistendum, et exercitatione contendendi, praesertim quae fiat animi inductione, orta et confirmata ab ratione bene instituta. Sed horum nihil est in voluptatibus percipiendis et vsurpandis: nulla in iis intentio, neque agendi neque repugnandi: nulla exercitatio habens aliquid laboris; nulla inductio animi ratione conformati, quae vel habeat ipsa aliquid roboris, vel imperando impertiat. Nam vt motus suavitatis voluptariae illabitur corpori animoque, ita ille recipitur totis sensibus, eique indulgetur penitus, donec aut actio imprimens eum sensum tollatur, aut fatigatio corporis animique fastidientis consequatur. Quae sunt omnia ignaviae et mollitudinis, in qua nihil neque roboris esse potest neque nervorum. Nam nec actio vlla animi intendentis se et vim suam intelligi potest, aut corporis. An igitur mirum est, si et animus et corpus frangitur a voluptate, et omnis eius vis obruitur atque sepelitur. Vere profecto liquefieri homines, scilicet vt nivis mollitiem a sole, et diffluere a voluptate Graeci atque Latini dicunt. Resistere voluptati, id est, cupiditati eius percipiendae ac fruendae, et animum iubere spem et voluntatem eius fruendae dimittere, et intendere mentem ad cavendum, hoc est roboris: nam in eo est actio aliqua animi contendentis adversus voluptatem et comprimentis cupiditatem eius: at in indulgendo voluptati nihil huiusmodi est. Itaque et animum et corpus debilitet paullatim et vim eius extinguat necesse est, etiamsi nullae aliae caussae accedant. Quae sunt plane contraria in dolore.

Primum ille conatus corporis vel fibrarum, in quibus efficitur sensus doloris, cum tenduntur supra naturae suae modum; earum igitur conatus, nitens adversus doloris vellicationes, habet ipse aliquam vim ad corroborandum:

Digitized by Google

randum: nec minus alter animi, repellentis ſenſum moleſtum. Tum, vt ſuavitas voluptatis cuiuslibet aſſiduitate fruendi minuitur, ſic conſuetudo ipſa doloris aculeos leviter primum reflectit, deinde etiam paullatim retundit, facitque tolerabiliorem multo, quam in primo morſu fuerat, dolorem, denique ſenſum eius prope totum extinguit. Videmus in militibus vulneratis, quantum interſit inter tironem inſolentem vulnerum, et illum veteranum, qui ſaepe antea vulneratus fuit. Pueri autem Spartanorum, etiam conſuetudine patiendi adverſus dolorem, ita obdureſcebant, vt nec gemitum inter verbera, etiam cum ſanguis manaret, ederent, nec vultum mutarent. Eſt quippe in conſuetudine doloris et ipſo actu patiendi quaedam exercitatio, etiam cum eſt mera perpeſſio, nulla mentis actione ſuſtentata; qualem habet laboris aſſiduitas, etiam in invitis, per quam laboris omnis paullatim moleſtia demitur. Sed ſunt exercitationis oppugnandi et frangendi doloris adiumenta permagna et efficacia ab cogitatione et meditatione, primum ante doloris acceſſionem, quam commentationem doloris poſſis dicere, deinde in ipſo doloris ſenſu. Vanas etiam opiniones, ſi alte inſederint animo, atque, dum dolor ſaevit, per cogitationis velut machinam ei admoventur conſtanter, vincunt acerbitatem, non, vt ne ſentiatur, ſed vt toleretur ſine eiulatu aut gemitu, aut alia etiam maiori turpitudine diſcedentis ab officio animi. C. Marius, cum varices ſecandos praebebat, noluit pedem alligari; quod fiebat vulgo in aliis, ne inter ſectionem, per doloris impatientiam, inepte moverentur: negabat, decere virum militarem. Sola opinionis vanitas valebat ad comprimendum doloris ſenſum. Poſt etiam haud paullo vanior opinio valuit. Nemo poſt eum vir ſe paſſus eſt alligari in ea curatione. Tantum potuit exempli humani auctoritas! Nempe turpe putabat quisque, ſi quod alius ſuſtinuiſſet fortiter, ipſe ſuſtinere non potuiſſe diceretur. Paullo gravius fuit, quod Philoſophis pre-

profuit ad vincendum dolorem, ne dedecori essent disciplinae, quae in dolore malum esse negaret, vt Posidonio Stoico, ex artubus laboranti; sed tamen non expers vanitatis. Quid ergo putamus, sententias vere graves sapientiae divinae, et exempla sanctissimorum hominum, in primisque divinum illud Iesu Christi, quantam vim habere, si in illa commentatione et exercitatione vsurpentur? Sed illud vitii est in ea re, quod haec quasi arma non ita aptamus nobis, vt, quemadmodum Romani arma appellabant *membra militis*, sic sint *membra nostra*, velut militum Christi: plerique etiam disciplinae militaris partem hanc ignoramus, nec exercitationis necessitatem agnoscentes, nec eius modum tenentes: quod non aliud est, quam si militem solis praeceptis audiendis arma bene tractaturum credas, aut medicinam profuturam per commendationem medici, ipsam sumere, et diaetam praescriptam observare non sustineas, nec necessarium putes. Sed de illius exercitationis modo dicere longius sit, quam oratio instituta patiatur: et est ea disputatio Philosophorum atque Theologorum, qui de modo virtutis omnis per idoneas exercitationes comparandae debent praecipere.

Dicat aliquis: est etiam adversus voluptatem pugnandi exercitatio, per quam vis eius frangatur. Audimus. Sed illa exercitatio pertinet ad animum abstrahendum ab ipsa voluptate, ne ei se dedat, nec ei fruendae indulgeat, sed potius delinimenta eius fugiat, eaque ne sentire quidem velit; in voluptate ipsa, cum percipitur et dulcedine sua animum permulcet, nulla est exercitatio ac disciplina eius frangendae ac tolerandae, ne noceat corpori, ne effeminet animum, ne sensum bonorum inadspectabilium obscuret atque extinguat, ne ab officii custodia abstrahat: quae sunt omnia in illa doloris commentatione et disciplina. Nec in voluptate, dum sentitur, quicquam est ad repugnandum, ad repellendum incitamenti, immo plurimum illecebrarum ad penitus, ad diutissime fruen-

fruendum. Vix oſtendenti ſe procul voluptati reſiſtitur; nedum haerenti in pectore, in medullis. At dolor, vbi adeſt, quam fortiter excitat vel ad depellendum, vel, quia id fieri ſaepe non poteſt, ad minuendum ac debilitandum eius ſenſum per remedia, quae animus de ſuis quaſi officinis praebeat, praeparata illa per earum rerum, quas paullo ante indicavimus, meditationem, admovenda autem dolori per cogitationis piae conſtantiam et aſſiduitatem, et inductionem animi imperantis infirmae parti naturae, vt ſe contineat, vt, quamquam cum difficultate aliqua, pareat tamen divinae ſapientiae vocibus, hoc eſt, Deo.

Haec nobis venere in mentem, cum vellemus memoriam Frid. Aug. Iunii, Viri Ampliſſimi, tum vniverſe, tum ex parte ea commendare, a qua profecto in primis digna commendatione et honore debet videri. Nam cum in eo fuerint multarum egregiarumque virtutum exempla, tum nullum aliud maius, quam patientiae in doloribus et aſſiduis, et diuturnis, et acutis. De quo vt planius dicere poſſimus, ante videtur de vita Viri vniverſa exponendum.

Natus erat in hac vrbe noſtra, Patre Vlrico Iunio, doctrinae mathematicae Profeſſore clariſſimo, et multis partibus de re noſtra publica praeclare merito. Is in matrimonio habuit Annam Eliſabetham, Io. Olearii, Theologi noſtratis filiam, vxorem ante Chriſtophori Pfauzii, cui in Profeſſione mathematica, anno huius ſeculi vndecimo, ſucceſſerat. Ex ea quintam prolem ſuſcepit Fridericum Auguſtum die XIII. Nov. anni duodeviceſimi. Matrem amiſit bimus, patrem, cum annum octavum nondum expleſſet. Mortuus eſt enim menſe Martio anni ſexti et viceſimi. Matris animum reddidit indulgentia novercae, Annae Eleonorae, D. Iacobi, Senatoris Praetorii in hac Civitate noſtra filiae; patris autem Fridericus Menzius, Profeſſor clariſſimus, et D. Iacobi, Medicus dexterrimus. Nam vterque cura pueri

bene

bene educandi ſuſcepta, nihil non egit, vt ingenium eius animusque acciperet cultum ei aetati aptum. Itaque primum privatis eum praeceptoribus tradiderunt erudiendum, deinde etiam publicis in ſchola ad D. Nicolai, Dreslero, Ortlobio et Haltauſio: ſub quibus ita in ſtudiis humanitatis profecit, vt anno aetatis vndeviceſimo ad lectiones Academicas audiendas mitteretur. Philoſophiam didicit ab avunculo, Oleario, Profeſſore vtriusque linguae, et Fr. Aug. Mullero: mathematicas doctrinas cognovit per diſciplinam G. Fr. Richteri. Eloquentiae cauſſa ſectatus eſt Gottſchedium, hiſtoriarum autem, Maſcovium, Menzium, Ioecherum, Kappium. His doctrinae partibus cognitis, totum ſe ad iura cognoſcenda transtulit, audivitque aſſidue, quicunque in aliqua eorum parte clari habebantur, nec modo qui ſcientiam iuris cuiusque traderent, ſed etiam, qui vſum forenſem in cauſſis vel agendis vel iudicandis demonſtrarent. Etiam Hebenſtreitii, qui ſororem eius in matrimonio habuit, lectionibus anatomicis interfuit, et quibus vſum earum in forenſibus cauſſis demonſtraret.

In his ſtudiis et exercitationibus cum quinque annos conſumſiſſet, viam ſibi ad vſum partae doctrinae munire inſtituit, primum petendis Philoſophiae honoribus, deinde iure docendarum artium parando, diſceptata pro Cathedra Exercitatione *de Sportulis Romanorum quotidianis*, itemque cauſſarum in foro agendarum, editis legitimis ſpeciminibus, denique iuris vtriusque ſcholas habendi; cuius cauſſa Doctor rite creatus eſt annos natus duodetriginta, ſcripta et defenſa Exercitatione erudita *de Sortis remedio ſubſidiario in cauſſis dubiis dirimendis*: in qua, ſuperſtitione antiqua in ſorte breviter commemorata, omnem eius vſum et in rebus privatis, et in re publica Romana, in foro, in iudiciis cauſſisque forenſibus demonſtrat, nec modo ad cognoſcendam antiquitatem, ſed etiam ad praeſentem fori vſum. Ab eo tempore cauſſas agere in foro coepit, magna cum dexteritatis, fidei et

 dili-

Digitized by Google

diligentiae laude. Quarum virtutum praemium habuit etiam hoc, quod ante hos novem annos in Ordinem Civitatis Amplissimum cooptatus est, cui easdem virtutes abunde probavit.

Inter haec animum ad matrimonium appulit, duxitque Fridericam Reginam, Christiani Ludovici Mirischii, Viri Amplissimi, Senatoris et Syndici Civitatis, filiam, forma oris et virtutibus ingenii animique praestantissimam. Sed id matrimonium multis suis et communibus malis exercitum, et sine prole fuit. Nam et ipse morbis saepe vexabatur, et vxor amisit subito Patrem, in mediis malis bellicis. Nec vltra octavum annum duravit: in ipsoque flore aetatis erepta est misero et vix consolabili marito coniux, quacum concordissime et, quoad mala corporis et temporis siverant, suavissime vixerat. Ex horum tot tantorumque malorum sensu vt recrearet se, finito bello, primum thermis Bohemicis vsus est; deinde Hamburgum profectus aestatem ibi consumsit in consuetudine amicorum, aliorumque virorum doctorum: post iterum ad thermas Carolinas, denique etiam Lauchstetinas abiit. Quibus rebus omnibus levatum se quidem sensit, liberatum a malo non esse animadvertit. Superiori autem anno, cum inter languores assiduos redeuntesque saepe dolores colicos aestatem exegisset, mensis Octobris initio, malum latens tanta vi prorupit, vt decumbere necesse esset. Initium fuit in deliquio animi, quo repente, dum in aëre libero veheretur carpento, oppressus est, secuto mox vomitu, quo multum atri cruoris reiecit, subinde in grumos concreti, tunicis firmis conclusos, ad tantam molem, vt ovorum gallinaceorum modum aequarent. Accessit paullo post hydrops, quem asciten vocant Graeci, et crebra reiectio, modo puris e dirupta pulmonis vomica, modo lymphae nutriciae.

In tam praesenti discrimine, medicus, quem valetudinis curandae caussa adsciverat dudum, D. Heinius, Vir arte et fide in primis probatus, in consilium societatem-

que

que curationis assumendum putavit D. Ludwigium, medicorum nostrorum principem. Placuit, malum, cuius per vim medicamentorum expugnandi et depellendi spes nulla esset, trahendo lenire. Quod consilium ita bene successit, vt amici, qui ad visendum venissent, eum vivere posse sperarent. At ille indies magis languebat, magis vitae finem adesse sentiebat: qui ei etiam, compositis rebus suis omnibus, ad extremum placidus contigit proximo a Kalendis Aprilibus die. Cum patefactum esset corpus, vt caussae tantorum malorum cognoscerentur, reperta est primum intestini, quod colon vocant, brevitas longe intra modum veluti legitimum naturae; quippe sesquicubitum vix aequabat; caeci porro intestini omnino nulla pars: intestinum colon ipsum quibusdam locis admodum angustum, in media vicissim zona supra modum dilatatum: qua autem parte sub iecinore excurrit, cum ipso et vesicula fellea, cuius admodum tenuia vestigia apparebant, denique cum intestino duodeno partibusque vicinis, quae et ipsae ad multam duritiem constrictae erant, ita concreverat, vt etiam cultri acie aegre dissecari possent. Nam et ductus bilem deferentes omnes, cysticus, hepaticus et cholodochus, plane in vnum fasciculum coaluisse videbantur.

Haec etiam legentibus tristia putamus fore et doloris plena: quantum tormenti cruciatusque attulisse videantur ipsi tam vitiosi corporis aerumnoso incolae? At noster ita adsuefecerat animum istis tolerandis, vt neque hilaritas et comitas tolleretur, aut tristitia et morositas quaedam existeret, neque per impatientiam dolorum acerbiorum diceret aut faceret, in quo reverentiam adversus Deum, aut officium vllum laederet, aut a constantia, viro, eique Christiano, digna, discederet. Quo exemplo certe nemo vllum dolorem non ferendum audeat dicere. Sed ille per intervalla mali saevientis praeparabat se adversus impetus eius repentinos meditationibus iis, quae animum ad ferendum roborarent, compo-

nens etiam hymnos ad rationes ſuas accommodatos, quorum commentatione animus, a cognitione malorum tantiſper avocatus, ad coeleſtia traduceretur, quorum tranquillitatem exſpectando et praeſentiendo dolores leniret. Sed in eo genere etiam profuerunt ei plurimum non modo alloquia Virorum Venerandorum, qui mali magnitudine commoti ad eum ventitabant conſolandi et confirmandi cauſſa, Stemleri, Eichleri, Boſii, Koerneri, aliorum, quorum et orationem audiebat libenter, et preces ſequebatur toto animo; ſed etiam ſororis germanae, Eichleriae, feminae primariae, expedita et invicta cura mali illius per omnia fomenta et delinimenta verborum ac rerum emolliendi.

Sed non hic modo tam triſtis et vltimus vitae actus plenus fuit excellentia virtutis Chriſtianae: etiam reliqua vita plurimum habuit commendationis egregiae. Erat in eo magna cura ordinis et elegantiae in rebus omnibus, comitas ſermonis et humanitas exquiſita, obſequii plurimum et officii adverſus omnes, quibuscum eſſet, ſtudiumque placendi, non a vanitate ortum, ſed ab animi bonitate et liberalitate, per quam nullo modo ſuſtinebat dicere aut facere, quod offenſionis aliquid apud quemquam habere poſſet.

In rebus gerendis, vt negotiis iis, quae ab aliis mandata recepiſſet, in cauſſis forenſibus agendis, in partibus muneris publici omnibus, diligentia et religio erat tanta, vt interdum ſupra modum tendere videretur. Sed in alienis rebus nullam nimiam diligentiam eſſe credebat: facilitatem cedendi ac remittendi in rebus ſuis laudandam eſſe, in quibus etiam nunquam eam deſiderari patiebatur, in alieno negligentiae et iniuriae loco ponebat: omninoque diligentiam et fidem primas et ſacroſanctas in negotiis gerendis ducebat.

Amicitias eadem fide colebat: humanitate, obſequio, etiam liberalitate, alliciebat. Sequebatur autem in primis amicitias hominum doctorum, proborum et gravium: calli-

callidos, ſimulatores, vanos, aſſentatores, moroſos, plane fugiebat. Quorum autem fidem et benevolentiam cognorat, eos omni officio proſequebatur. Plerisque etiam teſtamento legata pro rerum ſuarum modo ſcripſit.

Nec minus neceſſitudines ſuas caras et ſanctas habuit. Cum ſorore, de qua ſupra diximus, cum noverca, ſocru, vtriusque liberis, cognatis, affinibus omnibus concordiſſime vixit, eorum bona et mala ſua duxit. Itaque ſororem germanam ſic ſcripſit heredem, vt etiam ſocrus, novercae, fratris ſororisque, nepotum et neptium e ſororibus mortuis, Hebenſtreitiis, aliorumque memor eſſet.

Atque etiam ad externos in poſterum aliquid redundare de ſuo voluit, deſtinata DCCC. ſcutatorum ſumma, cuius fructus annui cederent adoleſcenti pauperi ſtudia iuris aemulanti. Adeo ille omnibus, quantum fieri poſſet, benignum ſe praebere et memoriam ſui, etiam liberalitatem commendatam relinquere voluit, non aliam ob cauſſam, quam vt eos ſibi plane caros fuiſſe oſtenderet!

In huius commendationis ſocietatem etiam nos omnes venire fas eſt, qui virtutem Chriſtianam amamus, et animum benignum et liberalem non vtilitate noſtra, ſed pulcritudine ac dignitate ſua, aeſtimare didicimus: ſanctaeque animae quietem a malis in corpore exantlatis ita gratulemur, vt nos adverſus mala ſimilia iisdem, quibus ipſe, armis, muniamus, ne cum nos imparatos invadant, eorum vi oppreſſi ſuccumbamus. P. P. Lipſiae Fer. I. Nat. Chr. a. C. cIↃIↃCCLXVIII.



Digitized by Google

MEMORIA
CHRISTIANI FVRCHTEGOTT GELLERTI

In via virtutis vel demonſtranda, vel ingredienda, facile ac ſaepe fit, vt a veritate et recto curſu aberrent opinionibus et inſtitutis ſuis, etiam qui virtutis nomen carum habent, eamque bono animo aggrediuntur vel cognoſcere ac demonſtrare aliis, vel ipſi expetere. Nec ea fraus obrepit modo illis, qui humanae ſapientiae lubrico nituntur, deſtituti certis doctrinae divinae fundamentis, ſed etiam his, qui divina ſe praecepta et exempla ſequi profitentur. Originem fraudis huius genus vniverſum habet maxime hanc, quod in iudicanda cauſſa virtutis, varie afficiuntur homines, vel a communi nationum, vel ſuae ingenio naturae, morum, temperamenti, conſuetudinis vivendi ſentiendique de rebus bonis et malis, expetendis ac fugiendis, quod ſeculum vocat vetus latinitas, imitante Francogallorum ſermone. Itaque vt ab his rebus moventur, ita in iudicio ſtudioque virtutis in aliam aliamve partem et veluti ſectam viae deducuntur, nec rectum curſum vel videre iudicio vel tenere in agendo poſſunt. Ciceronis eſt hoc, ſuper varietate opinionum de ſummo bono, qua inter ſe diſcrepabant eiusdem Socratis diſcipuli, cum omnes auctoritatem magiſtri ſequi ſe contenderent: cum Socrates de bonorum humanorum generibus ita diſputaſſet, vt modo ſcientiam, modo vacuitatem a dolore, alio item tempore virtutem, alio aliud genus laudaret ſtudioſius, aliam ab alio exceptam

ptam

ptam disputationem, et ad summum bonum, velut de Socratis sententia et iudicio, tractam esse, prout quisque inter disputandum se maxime affectum sensisset. In quo ipso, dubitari non potest, quin vel ante susceptae opiniones valuerint, vel sensus quidam proprius, per quem ad bonorum quodque genus inprimis amplectendum traherentur. Stoicae disciplinae auctor Zeno profecto non alia caussa ad illam tantam, et ab humanitate longius abhorrentem severitatem asperitatemque et praeceptorum et vitae tractus est, quam quod ipse natura durior esset atque asperior: nec illa placuit fere, nisi quibus eandem ingenii duritiem induisset natura, vt Catoni. In ipsa Ecclesia Christiana accidisse hoc videmus, vt, qui tetrica essent natura, et ab affectione quadam corporis vitiosa proni ad tristiorum rerum imagines concipiendas, indulgerentque libenter tristibus cogitationibus, hi igitur vt virtutem Christianam effingerent, in qua omnia tristia essent, plenaque severitatis et prope saevitiae in semet ipsos, eoque traherent interpretando dicta quaedam Christi et Apostolorum. Itaque modum pietatis virtutisque colendae ponebant in exercitationibus et afflictionibus corporis per ieiunia, vigilias, et in abstinentia ab earum rerum vsu, quae gratum sensum haberent, et ad corporis curam animique oblectationem pertinerent, nihil veriti Christi et Paulli iudicium, qui hoc genus plane improbarant, et hypocriticum pronunciarant. Nec tamen minus in vitio fuere alii, qui dum virtutem et pietatem ab illa nimia et inani severitate atque tristitia liberare vellent, et accommodare ad naturae vitae communis rationes, eam negligentem, voluptariam propemodum et ministram cupiditatum humanarum fecere. Adeo difficile est, etiam in hac tam gravi re, medium secare, et in neutram partem nimium esse, magisque parere veritati divinitus propositae, quam suorum sensuum ludibriis obsequi.

Digitized by Google

Vix alia fuit ante hanc noſtram aetas, quae magis in ore haberet virtutem, eius laudes praedicaret, exiſtimaretque, per earum exquiſitum artificium efficaciter ſe commendare virtutis ſtudium; cum interea virtutis vera exempla indies fiant rariora. Atque nos hoc tempore non de vniverſis vitiis dicimus, quae in ratione virtutis, e ſeculi praeſentis more tradendae commendandaeque, reperiuntur; in quibus ſunt etiam, quae pertinent ad religionem: illud non alienum ſit ab inſtituta oratione attingere, quod pertinet ad vſum et vim praeceptorum, per quae volunt homines amore et admiratione virtutis et odio vitiorum imbuere, vt iis ſenſibus ad virtutem ipſam expetendam et exercendam alliciant, et ab vitiorum conſuetudine abſterreant.

Ac videmus primum, multos ex iis, qui ſe virtutis magiſtros et praecones ferunt, feruntur que fama et opinione multorum, non de plebe, ſed qui plus ſapere aliis, et ſenſu acri pulcri et honeſti valere exiſtiment, eos igitur hoc maxime agere, vt in tota ilia ratione ſint ingenioſi, et placeant legentibus. Itaque referciunt diſputationes ſuas locis communibus, ſententiis bellis et acutis, imaginibus rerum hominumque exquiſita arte pictis, etiam motibus, eaque omnia verborum floribus conſpergunt. Sunt etiam, qui fabularum artificio, non de genere Aeſopico, ſed hiſtoriam aemulantium vtantur, per quas imagines virtutum aut vitiorum exprimant, vel ad imitandum vel ad fugiendum. Nec deſunt adſtipulatores homini Francico, qui ſcenam ipſam, praeſertim tragicam, pro ſchola virtutis commendent, quod ea vivas virtutum vitiorumque imagines exhibeat, ſitque plena et motibus et ſenſibus ad eam rationem pertinentibus; quibus imprimendis amorem virtutis, odiumque vitii, virtutem denique ipſam venire.

Cauſſa novae huius ſapientiae profecto eſt a ſeculi ingenio et moribus. Nam dum in rebus omnibus, in ratione aedificandi, ſive aedibus ornandis, in ſupellectili omni,

Digitized by Google

omni, in veſtitu, in cibis, ſimilibusque rebus, exquiſitior cultus, et ſuavitas conditior quaeritur; dum indulgetur ſenſibus mollibus et teneris, vel ad ſuavitatem, vel ad moerorem, dum phantaſiae bella ludibria placent, hisque ſenſibus qui moventur, eae bellae animae et ſentientes (nempe quae ſolae ſenſum habeant) dicuntur, dum hoc iam ſeculum eſt ac dicitur, res a vanis et ludicris etiam ad ſeria et gravia deducitur. Nec ambigi poteſt, totum hoc ortum eſſe a geſtiente ad ſuaviter patiendum, et pruriente ad placendum ingenio Francogallorum: eam ſcabiem paullatim ad nationes alias tranſiſſe, inprimis quod mireris, ad illam gravem et ſeveris ſtudiis deditam praeter ceteras Britannorum, cum deformitate hoc maiori, quo minus illis ingeniis, natura ferocioribus et auſterioribus, accommodari tam levis et mollis in rebus graviſſimis ludendi perſona poteſt. Sed dulcia vitia, vt ſcabies, facilius ad alios tranſeunt, recipiunturque celerius et avidius,

Ac nos non ſumus ii, qui iſta ſic contemnamus, vt nullam iis partem vtilitatis relinquamus, aut in his generibus neminem elaborare velimus. Immo vero iis, qui in his tractandis recte verſantur, laudem ingenii libenter concedimus; virtutis verae idoneos et efficaces magiſtros eſſe, haud dubitanter negamus. Nec ipſi fortaſſe, ſi verum fateri velint, aliam quam ingenii laudem expetere ſe dicant, eaque ſi ipſis tributa ſit, ſummam ſpei et conſilii ſe adeptos putent. Nam in totum hoc genus profecto convenit, quod dictum legimus a Francogallo, non occurrit, quo, de oratoribus laudes alienas oratione celebrantibus: non tam hoc ſpectari ab iis, vt laudent admirenturque auditores eum, cuius laudes audierint, ſed vt ipſos, ipſorumque in laudando ingenium et artificium. Eſtque hoc commune omnibus, quorum labor et ingenium in artificio exquiſito verſatur, vt pictorum, ſtatuariorum. Non tam placere volunt eos, quorum ſpeciem exquiſito opere expreſſere: nam et in deformibus artificio

Digitized by Google

cio ſuo vtuntur: quam ſemetipſos et artificium ſuum. Illud vero et rei natura moti, et vſu multo confirmati, ſerio affirmamus, e toto illo genere nihil praeter oblectationem, non illam quidem illiberalem aut turpem, ſed tamen ad virtutis ipſius rationem nihil profuturam, exſpectari debere. *Quid? qualis tibi viſus eſt orator iſte?* interrogabat aliquis egredientem vna de templo amicum. *Mirifice*, inquit, *delectatus ſum oratione hominis: adeo pulcre peccati foeditatem pinxit:* hoc ipſo verbo vſus. Felicem vero Evangelii praeconem, qui hoc effecerat! Immo miſerum, ſi id ipſe ſpectarat. Si ſpectarat aliquid amplius et maius, et quod ſpectare debebat; miſere falſus fuit, qui ita dixerat, vt tali laude mactaretur. Profecto et rei natura hoc clamat, et vſus ipſe docet, aliud nihil eſſe in illa nova virtutis docendae commendandaeque ratione, nec vero eſſe poſſe. Nam et totum illud genus dicendi ad ſolam oblectationem inventum eſt, eaque eſt communis ſententia omnium idoneorum dicendi magiſtrorum. Itaque omnes etiam illam ingenioſam rationem dicendi a rebus veris, gravibus, magnis, in quibus non oblectatio quaeritur, ſed vera vtilitas publica et privata ſpectatur, abeſſe volunt, et ſolis vmbraticis ſcholae declamationibus ſuper cauſſis fictis relinquunt. Nec profecto aut ſapientia ea, quae ſit magiſtra vitae et virtutis, expultrixque vitiorum, ſuſtineatque munus omnium, dignitate graviſſimum, difficultate in efficiendo maximum, poteſt dignum eſſe, rem tantam ad oblectationem inanem audientium, et ad laudem belle dicendi ac ſcribendi referri, aut animus humanus, a virtute alienus, vitiisque obſequi ſuetus, per blanditias verborum extorqueri ſibi ſinat, quod tam diu adamaverit, aut ſerium impetum et conatum capiat virtutis inſuetae et difficilis capeſſendae per actiones ſibi inſolitas et moleſtas. Vera ſapientia, cum hoc agit, non ſenſibus et phantaſiae per oblectationes blandiatur, aut animo per earum celeriter tranſituros motus adrepat, ſed ei per conſtantiam intelligen-

Digitized by Google

ligentiae imperet ſeria et perſpicua officii neceſſitatisque cognitione: imiteturque medicos, qui morborum, vt graviores ſunt, ita amariora et aſperiora remedia proponunt, nec valetudinem reſtitutam dulcibus corroborant cibis; quos omnino guſtari volunt, non copioſe ſumi ad oblectationem ſenſuum.

Atque bene eſſet, ſi inani oblectatione conſumeretur illa ratio, non obeſſet etiam virtuti, et eius verae ac ſalutari diſciplinae. Sed nobis eſt perſuaſum, iſta oblectatione, qua imbuunt animos iſti arguti et ingenioſi virtutum praecones, et vitiorum blandi et ſuaves adverſarii, induci languorem et mollitudinem animi, per quam nec audeat ſubire labores, nec ſuſtinere poſſit, quibus vitium frangatur, et virtus in animo fundetur, denique etiam ſeveris officii praeceptis vim ſuam paullatim detrahi apud homines, in diſciplina virtutis cognoſcendae et exercendae, adſuetos voluptati tali, et in cognoſcendo ſummam ponentes in oblectatione aurium et ſuavibus motibus ſenſuum, et rem longe graviſſimam et maximam in ludicram voluptatem converti. In cibis quidem ad confirmandum recreandumque corpus comparatis, videmus fieri, vt illam vim amittant, ſintque onerandis magis corporibus, quam ſublevandis, cum ad ſuavitatem ſumuntur, omninoque cum in ciborum delectu ſuavitas maxime expetitur.

Nec vero, cum a virtutis diſciplina vera et ſalubri aliena dicimus genera et artificia iſta, in quibus oblectatio quaeritur, propterea praecepta vitae recte inſtituendae diſciplinamque virtutis ſpinoſam et obſcuram ſententiis, aut vitioſam et ſordidam verbis, nudamque ab omni gratia eſſe debere defendimus. Eſt aliquid inter ſordidum et vnguentatum, inter amaritudinem fellis et dulcedinem mellis. Quamquam ille Stoicorum princeps Zeno, cum ei eſſet obiecta verborum triſtitia, et exprobrandi cauſſa laudata eloquentia aliorum, non abſurde reſpondiſſe fertur, etiam Alexandrinos numos eſſe longe pulcriores

Digitized by Google

criores Atticis, at hos ponderosiores; et sine dubio melior est et salubrior Epicteti et Antonini tenuitas et quasi siccitas, quam arguta et dulcis luxuries Senecae, qui, auctore Tacito, non quid rectum esset, sed quid auribus seculi mollis placeret, videbat. Oportet vtique magistrum virtutis cognoscendae et studiis hominum commendandae non esse barbarum, horridum, exsanguem ac prope infantem: oportet esse disertum, et qui ita dicat, vt alliciat ad audiendum ac legendum, non deterreat, vt erudiat et prudentiores reddat, ad animum admoveat orationem; sed haec omnia apte faciat ad naturam rerum, in quo est, auctore Aristotele atque Cicerone, bene dicendi ac scribendi principatus; pugnetque sententiarum et argumentorum bene ac diligenter explicatorum pondere, vt habeant homines, quod salubriter cogitent, cui cogitando immorentur, vt vis se per ipsam cogitandi tranquillam constantiam insinuet in animos, flectatque ad obediendum, hoc est, ad verum studium virtutis; quacum ipsa demum verus amor virtutis veniet. Nam amor virtutis ille, quem vulgo iactant, quem volunt esse a demonstrata pulcritudine et praestantia virtutis, per illas artes, de quibus diximus, mera et inanis cogitatio est, habens aliquid oblectationis celeriter transiturae, non amor, qui proprie dicitur, incendens et alens virtutis exercendae studium: sicut nec doctrinae amor proprie est in iis, qui eius nullam aliam commendationem norunt, quam a laude aliena, sed in his modo, in quibus est ipsa; amaturque semper pro magnitudine sua.

Quo magis agnosci debet ac praedicari sapientia et gravitas nostri nuper Gellerti, Viri Clarissimi, qui ab hac seculi nostri labe vt pura esset disciplina sua in docenda iuventute, et in scribendo, providit, teneretque viam, quam supra tetigimus, mediam inter illam ludicram et quasi voluptariam virtutis tradendae rationem, et horridam alteram invenustorum hominum, et barbariae sordibus obsitorum. Nam etsi et ipse scripsit, quae magis

ad

ad oblectationis, sed tranquillae et liberalis, nec inutilis adeo, consilium referrentur, vt fabulas scenicas e genere comico, itemque philosophicas, vt de Comite Suecica; tamen ea nunquam ad virtutis, quae proprie appellatur, rationem retulit. In ipsius quidem virtutis disciplina semper gravitatem et severitatem praecipiendi primam duxit, paullulum loci tamen relinquens elegantiae orationis, non per quam proprie virtus aliquid lucraretur, sed quae animos in cognoscendo teneret, et aditum gravibus, nec sua natura admodum iucundis, patefaceret et ad intelligendi facultatem, et ad obediendi qualemcunque inclinationem. Et tamen animadvertit et agnovit magno cum dolore, etiam in iis, a quibus assidue audiretur, et, quae in hanc partem scripsisset, studiose legerent, laudibusque ferrent, multos esse, qui ea magis ad oblectationem inanem viderentur referre, quam ad animi conformationem et virtutis verae studium severum et constans; quod opus virtutis in iis non appareret, sed intra sententias, vtcunque exceptas, et verba honesta res subsisteret. Quem dolorem suum etiam, non longe ante obitum, per occasionem aliquam communicavit cum amico.

Sed qualem virtutis auctorem eum habuerimus, et quam dignum ipsum tali disciplina, planius intelligetur, si tota vita qualis fuerit, quae instituta discendi docendique, quod ingenium, qui habitus animi, qui sensus moresque, quae fortuna, qui vitae exitus, breviter commemoraverimus. Hoc igitur agamus.

Natus autem est anno seculi huius quintodecimo, die quarta Iulii, patre Christiano, qui, in oppidulo (*Haynichen*) inter Fribergam et Chemnicium, sacra per quinquaginta annos amplius fecit, magna cum fide et religione. Initium discendi literas fecit in ludo oppidano; cuius disciplinae post accessit paterna domi. Inde missus in scholam Misnensem, didicit sub magistris non contemnendis. Ibi et initia facta sunt amicitiae, quam habuit cum Rabenero et Gaertnero fidelem et iucundam ad

finem

finem vsque vitae. Venit post Lipsiam, ad maiores doctrinas literarum percipiendas: audivitque Ioecherum, Kappium et Christium, literarum elegantiorum caussa, Adolphum Frider. Hofmannum in Philosophia, vtroque in genere Gottschedium; in literis hebraicis Hebenstreitium, Klausingium et Weissium in Theologia. Ita cum quartum annum ageret, revocatus est domum, quod pater sumtibus in eo faciendis non amplius sufficiebat. Erat enim ei numerosa suboles, et nostrum iam quintum filium in Academia aluerat. Non diu apud patrem fuerat, cum ei, de Loescheri, Theologi Dresenensis clarissimi, commendatione, defertur paedagogia in domo viri generosi; qua deposita posthaec, apud patrem primum literas docuit e sorore nepotem, eique comes venit anno primo et quadragesimo in hanc vrbem, non modo studia eius moresque vt regeret, sed vt et ipse disceret nondum percepta, et, quae didicisset, exerceret. Itaque iterum audiit Hofmannum Philosophum, cuius in superiori commoratione magna captus fuerat admiratione, quod ei visus erat ceteris subtilior: eumque ita audivit, vt omnia verba eius, velut totidem oracula, exciperet ac scriberet: ceterum nihil omnium, quae audisset scripsissetque, se intellexisse confitebatur inter amicos, idque etiam scripto de vita sua vidimus esse testatum. Et tamen saepe spem fecerat doctor subtilis, magni inter Philosophos nominis. Inter haec ipse alios erudiebat exercebatque ad vernaculae linguae facultatem, quam et paullatim ipse experiri, iudiciumque super ea peritorum cognoscere tentabat; de quo post dicemus plura. Sed cum in hanc vrbem reversus, vota fecisset, vt in ea sedem fortunarum nancisceretur, intellexit, sibi opus esse honoribus literarum et Philosophiae Academicis, per quos et potestas privatim docendi daretur. Itaque illos quidem capessivit anno tertio et quadragesimo, hanc autem adeptus est non ita multo post Disputatione publica, *super Poesi Apologorum et eius auctoribus*. Tum vero lectiones habuit assidue

Digitized by Google

due ac diligenter, quibus praecepta Poeseos et Eloquentiae traderet, exercebatque plures in vtroque genere facultatis comparando. Nec institutum carebat successu, pluribus disciplinam expetentibus, quam sibi profuisse testarentur, qui erant ea vsi, famaque eius per plura opuscula vtriusque generis scribendi aucta, inprimis per fabulas varii generis. Quae res etiam hanc vim habuit, vt ei Professio Philosophiae extra ordinem daretur. Eam adiit oratione *de vi bonarum artium ad animum moresque fingendos;* cui scripto *de Comoedia commovente* prolusit. Quomodo autem eam Professionem ornarit lectionibus oratoriis, poeticis, et philosophicis, ad rationem morum pertinentibus, quanti concursus ad eum, praesertim in vltimo genere, facti sint, non est necesse commemorare, cum sciant omnes. Atque ei propterea ante plures annos Cathedra Philosophiae moralis destinabatur, cum a morte Maii vacabat: sed nulla ratione perpelli potuit ad accipiendum, quod offerebatur, quanquam suadentibus atque adeo vrgentibus amicis; malleque se, dicebat, religioni suae, quam voluntati aliorum et vtilitati suae obsequi, quae a multis in caussa tali maxime spectatur, securis virium suarum vtilitatisque communis. Etenim negabat, se, propter valetudinis infirmitatem, onus talis professionis, et vrgentium saepe ac necessariorum laborum, sustinere posse. Nec eam rem obesse vtilitatibus eius sivit liberalitas publica, aucto per beneficium Principis stipendio, quo antea fuerat vsus, ad eum modum, vt commoda Cathedrae non acceptae vel aequaret vel superaret: cum ipse vicissim, quod ad docendi vel assiduitatem vel diligentiam attinebat, non modo nihil remitteret a superiori consuetudine, sed etiam eam prope supra vires intenderet, praesertim in lectionibus publice habendis; quas ille ducebat primas, cum multis soleant esse vltimae.

Erat autem vniversum docendi genus perspicuum inprimis, et, in genere quidem morali, paullulum ad popula-

pula-

Digitized by Google

pularitatem concionum in templis habendarum accedens. Nam et hortabatur interdum ad ſtudium virtutis cuiusque, et laudabat officia magna, indignabaturque vitiorum foeditati: nec ingenium magis agnoſceres viri, quam pectus: et ipſe tum ingeniis, tum animis vitaeque conſulere cupiebat. In quo adiuvabatur etiam amore adverſus ſe audientium, et ipſo vocis ſono, ad capiendos molles animos, et a natura, et conſuetudine, et ipſa imbecillitate corporis, temperato et facto. In rebus ipſis diligentiam ducebat primam. Commentabatur ante, quae traderet; non vt de ſcripto recitaret, ſed vt curatius in ſententiis et verbis diceret. Nihil extrinſecus arceſſitum: nullae digreſſiones: nullae neque ſui aut diſciplinae ſuae iactationes, neque aliorum obtrectationes, neque aliae artes malae iuventutis imperitae captandae. Itaque ſchola eius erat non ſolum doctrinae diſciplina, ſed etiam modeſtiae, qua nulla citius ac ſaepius adhiberi debere intelligebat iuventuti, ſtudia doctrinae aemulanti, praeſertim his temporibus, cum omnia inſolentia, arrogantia, oſtentatione et obtrectatione, etiam petulantia foeda, redundant. In exercitationibus ſcribendi, quibus plurimum vti volebat ad hanc laudem contendentibus, ſeveritatem et diligentiam ita moderabatur, vt nec caſtigando moroſius deterreret ab eo ſtudio tardiores, nec vanam fiduciam iniiceret ingeniis felicioribus laudando: ceterum vt magis quisque profecerat, ita ſeveritatem caſtigandi augebat; memor veteris inſtituti, quo erat cum amicis, Schlegeliis, Crameris, Gaertneris, Rabeneris, vſus. Nam cum certis diebus convenirent ad praelegenda, quae quisque ſcripta attuliſſet, iis limam quisque admovebat eam, quae nihil quidem intactum relinqueret, quod pulcritudinem ceteram obſcurare videretur; ceterum ita molli manu regebatur, vt nihil doloris conſequeretur, eſſetque tanto quisque gratior, quanto fuiſſet in caſtigando diligentior et ſeverior.

Atque

Digitized by Google

Atque in illa ipſa exercitatione communi et acuerat aciem ingenii ad videnda vitia orationis, quamvis tenuia et latentia, quae ille non minori, immo etiam maiori diligentia indagabat in ſuis, quam in alienis, et contraxerat religionem in ſcribendo tantam, vt ſibi ſaepe diffideret ipſe, raro ſatisfaceret. Itaque non dubitabat profiteri, quaedam de ſuis non ſatis ſibi probari, et quae probabat, nunquam ſimpliciter laudabat. Nec aliam ob cauſſam et in ſcribendo, et multo magis in edendo, cunctabatur, lambens vsque fingensque foetus ingenii, dum ſpeciem acciperent, quam ſperaret ſe idoneis iudicibus probaturum. In quo etiam adhibebat aliorum iudicium, ſaepe multorum, vt in fabulis fecit, nec dubitabat ex eorum admonitionibus caſtigare opera ſua. Quo magis mirum videri poſſit, in illis ipſis, in quibus maxime curam et ſeveritatem caſtigandi adhibuerat, eam ineſſe facilitatem ſententiarum et verborum, vt ea facillimo partu effuſa, non longis et difficilibus nixibus edita videantur: nec eſt fortaſſe aliud maius ac certius felicioris ingenii argumentum.

Scripſit bene multa, etiam maturiori aetate, quae omnia probata ſunt plurimum, ſaepe repetita, etiam in alias linguas Europaeas converſa; ſuntque paucae nationes Europae, apud quas, vel quarum ſermone, non legatur aliquid ſcriptorum eius: nec modo mercenarios, aut linguarum talium magiſtros obſcuros iuvenesque, nactus eſt interpretes, ſed etiam quosdam eos, quorum iudicium ipſi honorificum eſſet. Nec ille rem ad vanitatem trahebat, vt fit plerumque, etiam ab iis, qui ſuos ſibi ipſi inſtituunt interpretes, rogando, pollicendo, aliisque humilibus artibus, eosque per omnes occaſiones commemorant.

Ipſe in ſcriptorum ſuorum numero maxime probabat *Hymnos ſacros*, ad quos ſcribendos acceſſit annos natus quadraginta, abſolvit anno tertio, non tam artis et ingenii, quam dignitatis et vtilitatis ratione: quanquam et ab

illa parte permagnam habent commendationem, propter sensuum virtutes et orationis bona; nec dubitemus eum inter principes carminum sacrorum numerare. Fuerunt, qui spiritus sublimitatem in iis desiderare viderentur, et illam, quam Francica consuetudo *vnctionem* vocat, verbo de Mysticorum lacunis ducto, et forte nulli satis intellecto, qui maxime in ore habent; hoc est, quibus displicet, nimis intelligi omnia. In quo nostra ab illis plane discrepat ratio, qui facilitatem illam intelligendi, simplicitatemque sensuum et verborum, in hymnis sacris prorsus necessariam et primam virtutem putamus, si sint vsibus omnium promiscue scripti, propterea, quod populo nostro et omnino non exercitatis ad intelligenda insensibilia per rerum corporearum imagines pulcras in tropis, nihil tam lubricum et fallax est ad intelligendum, quam illa pinguis et fragrans vnguentis rhetoricis oratio: nec vllo modo Pindaricarum aut Horatianarum Odarum sublimitas, doctis et elegantioribus hominibus inventa et destinata, convenit religiosis carminibus, quae ore populi ac plebis cantentur ad exercendam pietatem. Profecto de vsitatis publice hymnis omnium minime intelliguntur, hoc est, prosunt pietati, qui habent spiritus poetici et vnctionis plurimum.

Plurimum famae habuit a *fabellis et narrationibus*: nec vllum aliud scriptorum eius plus habet ingenii in inveniendo, munditiae et gratiae in simplicitate mirifica, denique in contextu cuiusque et oratione. Quarum virtutum nullum aliud certius argumentum est, quam a facilitate, primum intelligendi, deinde retinendi mente et memoria. Nec enim puella facile, vel quinquennis, tam est vlla obtusa ingenio, vt non fabulam quamque celeriter arripiat, et memoriter reddat. Vidimus ipsi talem puellam, quae, a variolis sanata, inter convalescendum, lecto adhuc decumbens, primum earum volumen legisset, cum surrexisset de lecto, quam quisque posceret fabellam recitaret sine haesitatione. Nam sicut in musicis,

cis, cum modi carminis sunt naturae sententiarum et verborum aptissimi, et simplicitatis naturalis maxime retinentes, aliquoties cantato, vt fit in scena, carmine, propemodum omnes repetere canticum possunt: sic, in orationis quasi cantu, ex illa facilitate retinendi naturalem pulcritudinem et ingenii plane elegantis vim agnoscere debemus.

Non parem ceteris laudem tulisse videbat *Carmina didactica*, quanquam sunt et ipsa e genere morali: ipse sine ambagibus fatebatur, ea sibi probari, supra plura alia opuscula sua. Nec nostrum ab eius opinione dissidet iudicium: sed argumenti gravitas et severitas non capiens tractationem et exornationem satis aptam ad delectandum, quae est in ceteris, fecit, vt lectores ex genere, de quo supra disputavimus, voluptario, qui sunt plerique, hic non multum haberent, quod sibi placeret, quod laudarent: nec illa carmina lectores multos habuere, aut idoneos habere potuerunt, hoc est, doctos, graves, amantes veritatis salubris; qui sunt et erunt semper pauci; sed quorum paucitas viro sapienti carior esse, et, vt ita dicamus, numerosior videri debet, quam ceterorum infinita copia.

Scripsit et fabulas aliquot scenicas e genere comico, primam eam, quae, *feminam hypocriticam* exprimit plane ad vivum. Sed et vniversum hoc genus scriptorum suorum maturiori aetate ei non amplius satis probabatur, minime omnium ea, quam nominatim posuimus, fabula; sive expiare cupienti invidiam, inde ortam apud homines talis formae, sive, idque per se verius, et ingenio Gellerti similius est, quod intelligere coeperat, vitia ea, quae ad religionem pertinerent, non esse ad risus levitatem et scenae oblectationem trahenda, propter facilem et pronum transitum ad religionem ipsam.

Nec laude caruit *ratio epistolarum scribendarum*; quae pars artis oratoriae hodie minus frequentatur in scholis Rhetorum, cum olim, instauratis literarum studiis, tra-

Digitized by Google

deretur et exerceretur inprimis, quod in ea esset orationum ac disputationum graviorum et longiorum quaedam veluti prolusio: nec aliam ob causam in parte necessaria et perpetua disciplinae scholasticae collocata est Ciceronianarum epistolarum interpretatio, quae in hoc genere scribendi principatum tenent, habentque solae perfectum exemplar, quod ad imitandum debet esse propositum. Et erat ipse scribendarum epistolarum egregius artifex et magister, quamquam magis e genere eo, quod liberaliter iocatur, venuste narrat, aut officio aliquo humanitatis fungitur, quam quod graviora tractat, magisque ad Plinianam venustatem, et ad vitae privatae hilaritatem, quam ad Ciceronianam simplicitatem, subtilitatem, et gravitatem, et vsum in republica; qui olim putabatur primus.

Sed his aliisque scriptis, et ingenii solertiam venustatemque expressam reliquit, et laudem sibi longe lateque apud omnes hominum ordines et genera paravit: vita ipsa pulcriorem etiam imaginem animi habuit, laudis tanto plus habituram, quanto plus est boni in animi religiosi et veris virtutibus condecorati sanctitate, quam in ingenii solertis et acuti excellentia. Et huius opera caduca sunt, illius aeterna.

Erat ei natura animus ad lenitatem, placabilitatem et facilitatem temperatus: simplex idem et rectus: tener ac mollis ad omnes sensus honestos atque humanos: sine latebris fallacibus apertus: nulla invidia suffusus. Aetate florente inerat etiam hilaritatis non parum: virili aetati hypochondriorum vitia aliquid tristitiae addiderant, quae in ore, habitu totius corporis, in ipso vocis sono animadvertebatur; nisi qua res maior erexisset eum et firmasset. Erat eadem de caussa timidior et diffidens sibi ad futura: cum res venisset, fortis et constans reperiebatur.

Sed omnium sensuum acerrimus erat religionis, quem ipsa mala corporis acuerant: eum omnium ceterorum moderatorem habebat. Nec alium aut protulit saepius, aut

aut expreſſit efficacius, aut ſecutus eſt conſtantius, ſive diceret aliquid, ſive ageret. Sed erat ille ſenſus, vt ceteri, placidus et tranquillus; vt qui a perſpicua et certa ſcientia duceretur, nullis phantaſiae ludibriis permixtus, animi totus, non corporis.

Virtutem veram ducebat ab vno religionis fonte, quae ab alia eſſet, quamvis ſpecioſa aut innoxia, cauſſa, eam laudabat hactenus, qua labore conſtaret, et vtilis eſſet publice privatimque; veritatem ſive perfectionem ei vix tribuebat: et inflare animos. Itaque, vt volebat legi ſcripta veterum Graecorum et Latinorum, eloquentiae et doctrinae cauſſa; ita non probabat, ea commendari ob praecepta officii et virtutis: quae eſſe illa quidem pulcra, ſed homini nimium tribuere: vnde virtutem naſci arrogantem. Nempe Stoicos modo Latinos cognoverat, et magniloquum Senecam. Nec tamen ignorabat, quid intereſſet inter virtutem ignavam, quae tota coeleſtis doni eſſe vellet, nullo ſuo labore parari, et alteram, quae ita laboraret, tanquam tota laboris ſui eſſet, ita modeſta in effectu laboris, vt omnia Deo tribueret.

Honorem verum non extrinſecus, ſed ab conſcientia animi, et recte in publicumque vtiliter factis, ducebat; nec omnino felicitatem ab adventitiis bonis repetebat. Occaſiones augendi honoris et rei familiaris non modo non quaerebat, ſed etiam praetermittebat ſaepe. Libris ſuis alios diteſcere aequus videbat, dum ipſe nihilo plus haberet, vt qui omnibus ſcriptis ſuis per tot annos, non vltra mille ſcutatos lucratus eſſet. Et eam ipſam pecuniam fere ad beneficentiam conferebat, gaudebatque, ingenio ſe reperiſſe, in quo animus, ad alienas miſerias mollis, benefaciendi materiam haberet. Nam et veſtitu, et ſupellectili, et victu tenui vtebatur, nec aliud, quam neceſſitatem mundam, ſequebatur.

Itaque animum eius nulla invidia tetigit, vt qui invidendi cauſſas nullas haberet: eratque omnibus facilis, aequus, lenis, niſi qui improbiores eſſent, praeſertim in

Digitized by Google

publicum: his quidem graviter iraſcebatur; quippe et diſciplinae privatae ac publicae ſeveritatem probabat, indignabatur indulgentiae, a qua licentiam venire peccandi.

Vix alius aptior amicitiis iungendis colendisque fuerit. Omnium hominum atque temporum erat: ſummis et imis accommodatus ſermonibus, moribusque vniverſis. Nec facile quisquam alius ita vel miſcuerit vel aequaverit omnium benevolentiam et gratiam. Et habebat aliquid proprium, etiam in ipſo orationis ſono, quo influeret ſtatim in animos, praeſertim a lectione ſcriptorum eius praeparatos et quaſi patefactos.

Quibuscum autem proprie amicitiam inſtituerat, eos ad extremum, non modo ſine offenſione vlla retinuit, ſed etiam in dies magis ſibi devinxit, vt nihil in hoc genere poſſet eſſe conſtantius. Et erat in amicitiis eius non modo id, quod commune eſt amicitiae cuiuslibet veritati, ſed aliquid amplius ac proprium, aliquid velut ardentius et prope ἐνθουσιαστικόν, ab acerrimo videlicet ſenſu bonorum. quae ex animo, ſermonibus eius actionibusque, eminerent: cuius contagio etiam ad alios, ſaepe minus arcte ipſi iunctos, tranſiit. Ipſe amicis totus patebat; nec modo vt conſilia, ſtudium, labor, pecunia in promtu eſſent, ſed vt etiam retegeret. quae alii clam habent, vitia ſua et peccata, praeteritae et praeſentis aetatis, naevos item operum ſuorum: in quibus amici ſaepius religionis redundantiam, et timoris calumniam, quam veritatem agnoſcebant.

Erat omnino timidior, ſed vt magis corporis, ab hypochondriis male affecti, vitium, quam animi imbecillitatem agnoſceres. In primisque prae ſe ferebat apud amicos mortis horribilem quendam et invictum timorem: cum mors ante oculos eſſet, nullae timoris illius reliquiae animadvertebantur; omnia fortia et conſtantia reperiebantur. Nempe illic corpus horrebat mortem, animus tempora contemnendae mortis exſpectabat. Et contemtus mortis longinquae fere in verbis eſt: in propin-

pinquum cum res venit, tum cadunt fortia adverſus mortem longinquam verba.

Mortis cauſſam habuit ab obſtructione alvi pertinaci, nec vlla vi expugnanda. Vix triginta annos natum invaſit morbus hypochondriacus, cuius malis, repetito Carolinarum aquarum vſu, levatus ille, omnino liberatus nunquam fuit. Sed ſuſtentabatur tamen corporis robur temperantia ſevera, et animi tranquillitate perpetua. Itaque etiam bis graves morbos ſuperavit, primam febrim continuam, cum purpura alba, alteram pleuritidem, annis vndecim poſt. Sed ab hac ita vis corporis fracta iacuit, vt nunquam erigi ad alacritatem priſtinam poſſet. Crebri capitis dolores: alvus fere ſegnis, cum omnibus incommodis inde oriri ſolitis. Menſis Decembris autem proxime ſuperioris initio plane conſtitit. Accurrit primus D. Heinius V. C. quo medico inprimis curioſo, et amico fideli, vtebatur. Mox aſcitus, praeter D. Hebenſtreitium V. C. in curae partem Ludwigius, Vir artis medicae apud nos princeps. Experiuntur omnia, quibus cieri emortua alvi vis poſſet. Fruſtra. Miſerat mox, periculo viri commotus, Princeps Elector Demianum, de Archiatris ſuis, accuratiſſime commendata cari capitis cura. Huius quoque conſilia effectu caruere: et apparuit, mortem ſubeſſe. Quam ille appropinquantem placidus et bene compoſitus excepit, vti diximus. Amicis praeſentibus, in his praecipuo, Wagnero, Viro illuſtri, qui comes Demiano venerat, vale dixit conſtanter, et magna cum amoris ſignificatione, nec abſentium immemor fuit. Tum toto animo converſus ad iter ex hac miſera vita ad beatiorem pie et religioſe ingrediendum, preces facere et ipſe, et aliorum pro ſe orare, in his Thalemanni, quocum et crebros ad ſuſtentandum animum adverſus doloris ſubinde aegreſcentis acerbitatem, et ad alendam excitandamque felicitatis imminentis ſpem ſermones habuit. Finem dolorum et vitae fecit

 inflam-

Digitized by Google

inflammatio inteſtinorum et gangraena, die tertia decima Decembris.

Triſte ſpectaculum praebuit corporis aperti facies. Ventris imi inteſtina omnia arctius iuſto cohaerebant: ileum coecum et colon ſupra modum expanſa et turgida: colon etiam ex parte callo duratum et valde coarctatum: induratae glandulae et vlceroſae: tunicae vtriusque ita expanſae et flaccidae, vt rupturae fuiſſe viderentur, niſi mors praeveniſſet: faeces intus nigrae ab atra bile.

Mortis nuncius quomodo affecerit civitatem omnem, vix dici poteſt: non aliter abſentes locis omnibus affecit. Nec facile alius cuiusquam mors tot tam multorum ſignificationibus doloris honeſtata eſt, certantibus etiam ingeniis in eo ornando, qui ingenio Germanico tantum honoris etiam apud exteros peperiſſet. Sed his honoribus maiorem et iuſtiorem afferent, qui virtutes ingenii animique Gellertiani aſſequi ſtudebunt, et ſcribendo agendoque ad decus publicum patriae communis proferent: qui honos vt eius nomini a permultis adiungatur, vel ipſius cauſſa ſerio optamus. P. P. Domin. VIII. p. Trin. A. C. cIɔIɔccLXX.

ELOGIVM

Digitized by Google

ELOGIVM

GOTTFRIDI HEINSII

MATHEMATVM PROFESSORIS PVBLICI ORD.

In comparatione ingeniorum graecorum et latinorum, etsi concedendum videtur Romanis, vt Graecos in iis generibus artium eruditarum, quae pulcritudine, copiis, et amoenitate iudicantur, aequasse, in nonnullis fortasse etiam, expolitionis certe diligentia, superasse dicantur: tamen in ceteris doctrinis, quae subtilitate iudicii, et perspicientia rerum abditarum tenentur, fatendum est, Romanos longe a Graecis superatos esse. Nam in Philosophia quidem palam est, inveniendi gloriam Graecis totam propriam esse, in eiusque communionem vt venirent, Latinos ne laborasse quidem videri. Sed in hac tamen, videmus, eos hoc egisse, vt eorum, quae Graeci invenissent, ne quid ignorarent, eaque ad vsus suos publice privatimque vt accommodarent: at in mathematicis doctrinis multo etiam longius semper absfuerunt a Graecorum scientia et solertia; nec vel vnum possis aut commemorare, qui in iis excellenter, et ad Graecorum subtilitatem, versatus fuisse dicatur, aut ostendere, qui scripserit, quod mediocritatem vel attingeret, vel superaret. Eius rei de caussis, longum sit, hoc loco differere, nec ad consilium orationis institutae pertineat. Sed eam putamus esse caussam, quare in primis verae doctrinae instaurandae, quae aliquot abhinc seculis facta sunt, initiis, nihil admodum artes mathematicae lucratae reperiantur. Nam initia illa fere orta erant a libris latinis, qui e bibliothecarum Italicarum Germanicarumque tene-

bris proferebantur, et per novam artem, a Germanis repertam, cum Italisque communicatam, vulgabantur: cum graecorum librorum et tenues copiae essent, multo pauciores vero interpretes, necdum eorum per eandem artem vulgandorum aut initium factum esset, aut res ad libros mathematicos venisset. Nam et alii libri graeci, vt poetarum et historicorum, ab initio magis per versiones latinas, quam per se, cogniti sunt. Sed quicunque illis temporibus artes mathematicas profundius, quam antea factum esset, cognovere, ii e graecis illis Mathematicorum exemplis, per Graecos exsules, inprimisque Bessarionem, in Italiam illatis, profecerant, in quae incidissent, dum ibi peregrinarentur, literarum vel alia de caussa. In quo numero, satis constat, in primis Io. Regiomontanum fuisse, per quem etiam exempla graeca, vt Ptolemaici de Astronomia operis, et Theonis in id commentariorum, Archimedis etiam librorum, et Eutocii in eos expositionum, aliorumque exempla Germaniae sunt illata, accepta per Bessarionem et alios Graecos, quos ille in Italia doctores literarum graecarum habuerat, vt G. Trapezuntium, Gazam. Nam et fuit in Bibliotheca Noribergensi Ordinis Ampliss. Codex latinus Geographiae Ptolemaicae, manu notatus et correctus Gazae, sed ablatus est mala manu *). Ierat autem cum Purbachio comes Bessarioni in Italiam, vt literas graecas disceret, quarum scientia adiutus rectius cognoscere Mathematicos graecos, inprimisque Ptolemaei Syntaxin, posset, cuius Epitomen accuratiorem vulgata, Bessarionis instinctu, Purbachius **) instituerat, Regiomontanus absoluit. Sed quas Italia extulerat copias eius generis, eas

*) v. Raidelius de Ptolem. Geogr. p. 23.

**) v. Gassendus in Vita Purbachii et Regiomontani p. 76. in qua et index est librorum graecorum ex Italia in Germaniam a Regiomontano deportatorum, quos edere destinarat p. 87.

Digitized by Google

eas Noribergae depofuerat, cum eo commigraffet ad opportunitatem edendi *).

Sed doctrinae mathematicae, tum vniverfae, tum inprimis, Geometriae et Aftronomiae, et maior perfectio et frequentiora ftudia maxime debentur, in Germania certe, literatoribus, qui non effent rudes illius doctrinae; cuius generis feculi fextidecimi principio plures fuiffe in promptu eft, Philippum Melanchthonem, Ioach. Camerarium, Simonem Grynaeum, Th. Venatorium, in Italia Petr. Victorium, et alios, per quos editus eft textus graecus Euclidis, Archimedis, Ptolemaei, Theonis aliorumque Mathematicorum graecorum, ex illis ipfis fere copiis Regiomontani. Nam his edendis aucta effe et emendata in Scholis difciplinae mathematicae ftudia, multorum literis traditum eft, et res ipfa docet. In ea autem re praecipuum quoddam eft noftrae Academiae vel meritum vel decus. Nam ante illos iam, quos commemoravimus, viros, habuerat, tum aliarum doctrinae mathematicae partium, tum Aftronomiae doctorem, fuperioribus haud paullo meliorem, Cafparum Bornerum, literatorem eundem, et denique etiam Theologum: quem Camerarius, a quo parentis in modum colebatur, teftis eft, (in Vit. Melanchth. p. 71.) ita exquifite, et tanta induftria, fitus, loca, figuras, ortus obitusque fiderum fignorumque caeleftium obfervaffe, eiusque contemplationis ita planum iter oftendiffe ftudiofis, vt omnes fuperiores fuperaret. Et nos alibi **) oftendimus, eam illum fcientiam tractandis Mathematicis graecis confecutum effe, quos in Italia cognoviffet, inprimisque Ptolemaei opere, cuius et Indices diligentiffime ab eo confectos habet Bibliotheca noftra Paullina. Ab his porro initiis res orta, habuit incrementa, et Vitembergae per Philippi, et

*) v. praef. Camerarii ad Theonis Comm. et Venatorii ad Archimedem. Gaffend. l. c. p. 87.

**) Opufc. Orator. pag. 451.

Digitized by Google

et hic, per Camerarii praecepta et instituta, vrgentium voce literisque disciplinae mathematicae, inprimisque Geometriae et Astronomiae studium; quod et ipsae sua pulcritudine dignae essent, quae accurate discerentur, et sine earum scientia nemo perfectus, nec literator, nec philosophus, nec vero etiam Theologus posset fieri *).

Sed inprimis reperio, illorum temporum literatores excellentiores Ptolemaicum opus solitos studiosius legere et tractare, nec modo ad vsus proprios disciplinae suae, h. e. ad intelligendos et interpretandos poetas, et philosophorum graecorum principes, Platonem et Aristotelem, sed ad communes doctrinae vniversae; quod ad veram subtilitatem ingenii et iudicii, et ad ἀκρίβειαν in rebus sublimibus tractandis, non aliam munitiorem viam esse iudicarent: quam in sententiam egregie disputat Grynaei praefatio. Atque huius iudicii adstipulatorem cognovimus etiam illud Italiae literatae decus Benedictum Averanium, qui ita delectatus est Ptolemaei opere, vt eius etiam interpretationem latinam scribere instituerit superioribus elegantiorem et accuratiorem **); quam dolendum est perfectam non esse, itemque versionem Theonis in Ptolemaeum commentariorum, ad exemplum edito plenius, interceptam esse. Et sunt profecto in eo Ptolemaei opere, praeter ipsam argumenti pulcerrimi tractandi ἀκρίβειαν summam, cum pari perspicuitate, praecepta communia doctrinae plura, exquisito philosophi iudicio digna, et plurimum vtilitatis ad bene cognoscendum habentia.

Sed, vt illuc redeamus, in his, qui proxime a Bornero in hoc genere doctrinae et ipsi illustres fuere, et Scholam nostram illustravere, princeps sine dubio numerandus

*) Legant studiosi Philippi praef. ad Euclidem latinum, ab ipso editum Bas. 1537.

**) v. Ios. Averanii Vitam Benedicti Averanii in Opp. postum. T. I.

Digitized by Google

randus eſt Io. Homilius (nomine ad formam graecam flexo ab Hommeliano) quem Camerarius ait *) ab excellentibus quoque in eo genere ſtudiorum, quae ille potiſſimum profeſſus eſſet, viris, hoc eſt, Mathematicis, principem earum artium iudicatum eſſe. At ille cum ceteras earum partes eximie calleret, tum vero inprimis excellebat in Aſtronomia; ad cuius vſum etiam nova, eademque exquiſitiſſima ratione inventa et compoſita, inſtrumenta et machinamenta ſtruxerat, propter quae et *Carolo* Caeſari, et *Auguſto*, Principi Electori, gratiſſimus et prope familiaris fuit, ab iisdemque magnis auctus eſt praemiis.

Ab illo tempore etſi non defuere huic Academiae, qui illam partem doctrinae cum laude, et ad vſum iuvenilis aetatis accommodate, docerent: nam et Camerarius eo, quo diximus, loco fatetur, (vtrum ita ſenſerit, an humanitatis cauſſa dixerit, non decernimus) iacturam in Homilio factam bene reparatam eſſe ſucceſſoris dignitate; et poſſunt commemorari alii non obſcuri eius magiſtri: tamen in illa ſtudiorum perverſitate, quae, poſt illud felix literis apud nos ſeculum, ſive Philippicum malis, ſive Camerarianum dicere, invaluit, et per totum amplius ſeculum duravit, nihil, quod inſigne eſſet, habuit civitas noſtra, nec omnino Germania multum; cum illis temporibus, de quibus ante diximus, principatum in hoc genere teneret. Qua in re noſtra aetate felicior fuit, vt vniverſa Germania, ita noſtra etiam civitas. Nam et illa habuit, qui in principibus Mathematicorum, ingenii altitudine et inventorum ſubtilitate ponerentur, certarentque de principatu cum Britannis et Franco-Gallis aliisque externis; in his longe principem Leibnitium, ipſum Lipſienſem, ſed ereptum Lipſiae patriaeque communi per inſcitiam invidiamque: et Schola noſtra duos excellentes in ea diſciplina viros, et omnibus ſuperioribus eius in

*) In Or. de Io. Homilio 1563.

in hoc genere doctrinae professoribus longe superiores, Hausenium et Heinsium, hunc vero, in Astronomia quidem, et ipsum sine pari. Quo magis intelligitur, quantam eius morte iacturam nuper fecerimus. Id vt magis intelligatur, breviter, quomodo natus educatusque sit, quo cursu ad illam tantam doctrinam pervenerit, quae instituta docendi ac scribendi, qui habitus ingenii, animi, morumque, qui finis vitae fuerit, exponemus.

Gens est a pluribus aetatibus Numburgi ad Salam Heinsia: non illa quidem honorata, at honesta cum primis, nec sterilis bonis ingeniis, claris etiam inter nos familiis, vt Deutschmanniae, innexa. Ex ea fuit Iacobus quidam, Magister Collegii restiariorum, paterfamilias diligens et rei honestis artibus faciendae peritus. Is ex Reinecceria, civis Pegaviensis filia, suscepit Gottfridum, de quo dicimus, anno seculi nostri nono a. d. IV. Kal. Maias. Celeriter prodidit se ingenium pueri, et tum facilitas, tum cupiditas discendi. Itaque quartum aetatis annum agens mitti potuit in Scholam publicam; in qua, per omnes ordinum gradus, ad primum vsque pervenit: nam et ipse puer literarum studia sequi cupiebat, et praeceptores Patri auctores erant. Sed in ea Schola tum ceteras partes puerilis doctrinae studiose ac diligenter didicit, tum in primis, captus per occasionem aliquam doctrinae mathematicae cognoscendae cupiditate, impetravit a Blossio, qui ei Scholae regendae tum praeerat magna cum doctrinae et dexteritatis laude, vt sibi eius initia traderet. Hunc tum ceterae eruditionis, tum mathematicarum doctrinarum amorem in Academicam disciplinam pertulit, annos natus viginti. Et ille ad Iuris quidem civilis doctrinam se conferre statuerat, audiebatque, praeter Philosophos, qui tum maxime clarebant, illius scientiae magistros: ceterum mathematicae doctrinae, tum vniversae, tum in primis Astronomiae amore ita captus tenebatur, vt ad extremum in ea domicilium studiorum collocare decerneret. In quo plurimum

Digitized by Google

mum valuerat magiſtri, Hauſenii, quem ante commemoravimus, excellens ſcientia, et docendi tum ſolertia, tum fides. Nam vt nihil de ſcientiae altitudine dicamus, vis docendi et demonſtrandi erat tanta, vt, etiam in difficilioribus rebus, et intelligere, et aſſentiri, cum ſuavitate quadam cogeret. Nos quidem adhuc illius ſenſus delectat memoria, quem nobis impreſſit docendo, cum primum e quamvis accurata Haſii, Mathematici Vitembergenſis, diſciplina ad eum veniſſemus, traditi viro a fratre noſtro, qui nuper eſt mortuus, ipſiusque de conſilio audiremus publicas ſuper Mechanicis, quas tum maxime inſtituebat, Lectiones; in quibus non modo ea vel explicabat, vel corrigebat, quae eſſent in Germanicis Wolfii elementis, ſed etiam vniverſam de legibus motus theoriam, vt ipſe vere dicebat, primus in hac Academia tradebat, idque ſine libro: quae nos deinde domi ſcribebamus, redeuntes per veſtigia rerum perſpicue nobis impreſſa ab illis vividis et efficacibus demonſtrationibus, ipſe vel emendabat, vel explebat, ſi qua lacuna apparebat. Itaque qui doctrinae mathematicae ſtudium cogitaramus aſſumere, memores alicuius orationis paternae, ad acuendum ingenium, et ad verae in diſſerendo ac demonſtrando ſubtilitatis ſenſum imbibendum, ita capti eramus doctrinae illius dulcedine, vt ad eam toti adhaeſiſſemus, niſi nos Stiglitii, alterius parentis noſtri, quamquam illorum ſtudiorum amantiſſimi, conſilium abſtraxiſſet. Sed bonitas diſciplinae nullo alio documento certius intelligitur, quam diſcipulorum haud ambigua claritate. Et Hauſeniana diſciplina Kaeſtneros, Baermannos et Heinſios tulit. Sed, vt ad Heinſium redeamus, non modo privatas ille praeceptoris, inprimisque publicas lectiones, quae erant optimae et diligentiſſimae, inprimisque deſtinatae iis, qui iam aliquid profeciſſent; non ergo has modo aſſidue ſtudioſeque audiebat, ſed etiam ſeparatim eius opera vtebatur ad ſublimiora cognoſcenda. Nam nosmetipſi ex Hauſenio audivimus in ſermone tum fami-

familiari, *Phororomiam* a se Hermannianam explicari Heinsio, qui in mathematicis disciplinis excellentius versari gestiret.

Ceterum cum ita profecisse magistro videretur, vt ipse posset alios docere; prius voluit experiri ingenium ac profectum scribendo ac disputando. Itaque scripsit libellum, *de viribus motricibus*, (a. 1733.) Hausenio praeside pro cathedra disceptandum: ex quo nata est controversiola, ipsum inter et Stubnerum, virum in philosophia et mathematica doctrina egregie versatum, aliquot libellis agitata erudite et liberaliter. Nam cum ipse de ea re, et de virium motricium mensura, secundum Cartesium iudicasset, eiusque rationem contra Leibnitianam defendisset; Stubnerus Leibnitianae defensionem contra Cartesianam susceperat, Leibnitianae demonstratione proponenda. Ei cum opposuisset noster Animadversiones quasdam, Stubnerus alio libello ei satisfacere tentavit: cui ille mox respondit (a. 1735.) ita, vt notiones et discrimina virium vivarum et mortuarum explicaret apte ad quaestionis iudicium. Ita finis factus est liti.

Interea ipse Magister artium et philosophiae creatus, (a. 1734.) paullo post ius privatim docendi adeptus est alia Disputatione proposita, quae modum longitudinis tormentorum bellicorum definiendae per principia mechanica explicaret: a qua Disputatione statim mathematicas disciplinas tradere lectionibus privatis coepit. Duobus annis post (a. 1736.) cum aliam pararet *de vi inertiae*, per quam sibi aditum ad Collegium Philosophorum patefaceret, oblata est ei a Petropolitanis Professio Astronomiae extra ordinem docendae, per quam etiam adiungeretur Iosepho Nicolao Insulano (*de l'Isle*) Professori Astronomiae primario, in observationum Astronomicarum negotio; cuius caussa ei et locus inter Academiae Sodales dabatur. Ea conditione accepta, hinc profectus venit Petropolim mense Septembri anni 1737. exspectatus vehementer per commendationem Hausenianam.

Quam

Digitized by Google

Quam exſpectationem ipſe non modo ſcientiae ſubtilitate, et caeleſtium obſervandorum aſſiduitate ac diligentia egregie ſuſtinuit, ſed etiam ſuperavit. Erat enim tantum ſtudium ſpeculandi caelum nocturnum, et obſervandi, ſi quid eſſet dignum animadverſione, vt nec vigiliis fatigaretur, nec frigoris moleſtia. Ipſum audivimus, cum narraret, in illa acerrima hieme anni 39. ſe non omiſiſſe obſervandi conſuetudinem, etſi ſaepe interrumpere obſervationes propter frigoris vehementiam, et fricare nive manus neceſſe haberet ad excutiendum torporem. Atque hinc nata ſunt ea, quae ſaepe exhibuit Academiae ſpecimina obſervationum ſuarum, fere in Commentarios Petropolitanos relata. Itaque cum Inſulanus a. 1740. in Siberiam iret, et ad ſpeculandum, prope ipſum Obii fluminis oſtium, Mercurii per ſolem tranſitum, qui die altera Maii futurus erat, et ad alia item obſervanda, quae Aſtronomiae pariter et Geographiae vſui forent; noſtro omnis ſpeculae Aſtronomicae cura credita eſt, adiunctis Kraftio et Tidemanno, viris doctiſſimis, qui ei operam in ea cura navarent. Qua curatione accepta etiam magis incenſus eſt, non modo vt ipſe pro ſe omnem in ea re diligentiam aſſiduitatemque exhiberet, ſed vt etiam alios ad obſervandi dexteritatem diligentiamque acueret. Itaque inſtituit quosdam adoleſcentes aſſumere, quibus primum obſervandi caeleſtia modum et artificium demonſtraret, deinde exercitatis ipſe in obſervando vteretur. Itaque etiam nunc eius in adminiſtratione illius muneris curam, fidem, aſſiduitatem ita laudant Petropolitani, vt omnibus, qui poſt ipſum fuerint, haud ambigue praeferant. Ceterum illa procuratione ſuſcepta, finem lectionibus publicis fecit, quibus elementa mathematica adoleſcentibus tradiderat ſecundum Weidleri, Mathematici Vitembergenſis, *Inſtitutiones;* ad quas tamen duobus annis poſt rediit. Nec ille omiſit commentari interdum, quae in conventibus Academicis praelegeret: quale fuit, quod de *Orbitarum planeticarum*

apparentiis (Graeci vocant Φάσεις) ſcriptum praelegit, exhibeturque in *Commentariis Petropolitanis* (*Tom. XIII. p.* 260.) item eodem anno, cum Eulerus, vir in hoc genere doctrinae ſummus, ad Academicos commentariolum miſiſſet, in quo methodus traderetur orbitae parabolicae deſcribendae, quam cometa decurreret; ipſe ſecundum eam deſcripſit modum eius reperiendae, per quandam conſtructionem, quae tribus punctis ſive locis orbitae datis fieret. Sed eam methodum etſi Academicis praelegerat, tamen edi formulis chalcographicis noluit. Nam quae de eo, quem Aſtronomi vulgo vocant, annulo Saturni, ſcripſit, cum anno 43. et 44. conſpicuus in caelo non fuiſſet, ea apud nos in Schedis literariis tum edita ſunt, poſt diligentius ab ipſo elaborata.

Haec et his ſimilia cum ageret, floreretque iudiciis omnium, ecce per Weidlerum ei Vitemberga nunciatur, cathedram mathematicam, quae morte Haſii vacaret, ipſi Principis decreto deſtinatam eſſe. Ibi tum ſenſit ſe tangi patriae amore; decrevitque accipere, quod eſſet oblatum: nec ita multo poſt ſe accinxit itineri, venia abeundi impetrata. Et eam impetravit ab invitis ille quidem, cum omnes talem ſibi virum eripi dolerent, ſed tamen ab non ingratis, nec vt effunderetur gratia, meritis collecta per plures annos, vt fit; eſtque ſic dimiſſus, vt honoris cauſſa in numero Sodalium Academiae maneret, cum ſtipendio annuo ducenorum ſcutatorum: quod ei ad finem vsque ſalvum fuit. Sed cum velut ad Vitembergenſes abiiſſet, venit ecce ad nos. Et erat aequum, Lipſiam meliori iure et conditione in eo eſſe, cuius doctrina Lipſiae deberetur. Etenim dum eſt in via, moritur Praeceptor eius Hauſenius, cuius videndi deſiderium et ipſum valuerat in conſilio repetendae Saxoniae. Is cum morti vicinus interrogatus eſſet ab iis, qui adeſſent, collegis, quem ſibi ſucceſſorem iudicio ſuo deſtinaret; Heinſium, reſpondit: nec alium vltra edidit. Quo iudicio motus Ordo Philoſophorum inſtitit orare Principem

vt

vt hunc potiſſimum ſibi collegam daret: idque facile impetravit. Nec ipſi non poterat longe acceptior eſſe hic locus, quo capeſſendo etiam gratum ſe Lipſiae alumnum praeſtare poſſet. Adiit ergo hunc docendi locum per legitima et ſolemnia ei rei ſpecimina doctrinae. Eum porro quemadmodum ad finem vsque non modo tueri perrexerit, ſed etiam ornare, in re clara non diceremus, niſi ea, quae ad hanc doctrinam pertinent, minus nota vulgo ac plerisque adeo ignota eſſent. Neque enim popularia ſunt iſta ſtudia. Et nos non illum populum modo dicimus, qui proprie dicitur, ſed etiam qui ſe in doctis hominibus numerat, et viros magnos creare non dubitat.

Itaque primum docendi non modo ſubtilitas et accuratio, ſed etiam perſpicuitas erat tanta, vt prope, ſicut, qui in clara luce apertis ad videndum oculis ambulant, neceſſario vident, quae ſunt ante oculos, ita, qui eum demonſtrantem res propoſitas audirent, non poſſent non intelligere, quae traderet: niſi ſi forte eſſent, qui ab ipſa lucis magnitudine caligarent, vt fit in ſole nimis multo. Nec id incerta fama praedicamus, aut ex laudibus modo adoleſcentium, quos nosmetipſi eius diſciplina vti iuſſimus, ſed ex iis, quae audivimus ſaepius in examinibus eorum, qui Magiſtri artium creari vellent. Nec infrugifera eius diſciplina fuit etiam in hanc partem, qua ſupra diximus maxime Doctores praeclaros ſpectari. Etenim ſatis conſtat, plures per eius diſciplinam ita praeclare profeciſſe, vt ipſi docere artes mathematicas cum laude poſſent: quos nominare non eſt neceſſe.

Sed cum maxime vacaret ſcholis habendis, publicis privatisque, etiam quae ſingulis haberentur, praeſertim, qui exquiſitius diſcere cuperent, non neglexit etiam ſcribere, quae doctoribus prodeſſent: primum per occaſiones Academicas, deinde, vt eſſent, quae in Commentarios Petropolitanos ſuo nomine inſererentur, nec in hoc genere ſcribendi commemorari poſſunt. Libros maiores non ſcripſit. Non ita facile eſt, in huius doctrinae

ſubtilitate, et erudita tenuitate, libros magnos efficere: neque enim in ea licet loquacem eſſe et belle nugari. Et compendiis vulgaris doctrinae ſcribendis ad laudem affectare viam, indignum ſua Profeſſoris clari perſona ducebat. Inventis hic novis paratur gloria, et accurandis iis, quae ad ἀκριβείας perfectionem nondum ſunt adducta. In quo et verbis paucis opus eſt, et brevitas eſt gratior. Atque etiam non tuliſſet laboris continentis, in magnis operibus ſcribendis neceſſarii, contentionem et moleſtiam. Etenim quamvis robuſtum natura corpus partim frigoris magnitudo, partim victus Petropolitanus, cuius conſuetudinem dimittere non ſuſtinebat, ita affecerat, vt, praeſertim per hiberna tempora, parum valeret. Inprimisque ventriculi imbecillitate afflictabatur, et iis, quae inde naſcuntur, incommodis; de quibus poſt commemorabimus.

In ingenio Viri, praeter acumen in intelligendo et iudicando, maxime laudaverimus diligentiam in cognoſcendo, et in cogitandi veluti progreſſione conſiderantiam: ex qua exſiſtit et in intelligendo perſpicuitas veriſſima, et in iudicando aſſentiendoque ſecuritas. Ad eam et ab ipſa natura factum erat ingenium, et vero inprimis, tum vniverſo doctrinae, ad quam ſe dederat, genere, firmatum, tum aſſuetudine illa et aſſiduitate obſervationum caeleſtium et ſupputationum aſtronomicarum; quarum ipſa indoles prope cogit eſſe diligentes et conſiderantes, etiam in rebus minimis. Ab eademque nata erat illa docendi in rebus tam ſubtilibus dexteritas, de qua ante commemoravimus, felicibus ingeniis apta pariter et tardioribus. Nam cum eadem conſtantia et conſiderantia progrederetur in explicando ac demonſtrando, tum ingeniorum felicium ac celeres motus habentium feſtinationem cohibebat ſalubriter, eaque, veluti equos ferocientes atque exſultantes ſolent domitores, per arenas ire ſuſpenſo gradu cogendo, ſubigebat, tum aliorum imbe-

Digitized by Google

imbecillitatem ac tarditatem ſublevabat: in quo eſt diſciplinae virtus maxima.

At illa virtus nec ab triſtitia quadam naturae ducebatur, nec eam induerat ingenio. Etenim in vita communi et in circulis amicorum multum hilaritatis erat, plurimum etiam ioci et facetiarum. Neque enim ita diſſidet atque diſtracta eſt ſeveritas doctrinae mathematicae cum hilaritate ingenii atque vitae, vt in eodem eſſe non poſſint. Ille ipſe Praeceptor communis Hauſenius in ſermone communi erat plenus facilitatis et hilaritatis. Nam etiam triſtitia ſcribendi in vtroque, interdum inclinare in obſcuritatem viſa, non ab ingenio vel naturae vel doctrinae erat, ſed quod exercitatio ingenii ad ſcribendi facilitatem et hilaritatem defuiſſet: ſine qua difficile eſt obſcuritatis ſpeciem effugere, ſi diligentior in rebus reconditis explicandis eſſe velis. Quod contra videmus aliis viri diſcipulis, qui illa exercitatione ſunt vſi, Kaeſtneris et Baermannis, nihil eſſe in ſcribendo facilius, etiam nihil lepidius, cum in argumento, materiam venuſtatis habente, verſantur.

In philoſophia et omni genere doctrinae comparando omnia tribuebat diligentiae et aſſiduitati exercitationis in cognoſcendo, praeceptis paullulum loci relinquens: valdeque probabat Hermanni, Mathematici ſummi, iudicium, quem narrabat iuſſum Petropoli praecepta logica tradere ſtudioſis, cum prima hora de ideis, altera de nexu et relatione idearum, ſive, vt Dialectici loquuntur, ſubiecti et praedicati, dixiſſet, finem feciſſe praecipiendi: quod nihil praeterea ſcire ſe diceret, quod ad bene intelligendum et iudicandum neceſſarium eſſet: cetera vſu et exercitatione conſtare.

In omni numero ſcriptorum eius facile primas tribuerimus commentariolo *ſuper Cometa*, qui annum abhinc ſeptimum et viceſimum (1744.) Aſtronomis inſignem fecit: tanta ineſt diligentia in obſervando, in principiisque conſtituendis, et ſubtilitas atque ſeveritas

 in

Digitized by Google

in ducendis inde conclusionibus, et ad explicanda ea, quae observata essent in cometa ipso et eius decursu, et ad intelligendam communem cometarum naturam! Initium facit ab commemorandis opportunitatibus observandi, quae in illo cometa supra ceteros omnes fuere, in quibus speculandis constet Astronomos ante laborasse. Sequuntur observationes ipsae, a prima conspecti sideris die (d. 5. Ian.) ad vltimam: quinta et vicesima Februarii fuerat: in quibus, quoniam libellus non Astronomis subtilissimis aut solis scribebatur, magis earum rationem duxit, quae ad naturam cometarum cognoscendam prodessent, quam quae ad positum quemque sideris illius, astronomica accuratione definiendum, pertinerent. Tum aggreditur, iter eius ipsum circa solem, per anfractum Apollonicum siue parabolicum, (quod est genus curvae de genere sectionum conicarum) e vestigiis obseruatis definire, comparatque cum cursu terrae simili, h. e. per eiusdem generis orbitam, et versus eandem coeli plagam. Inde de figura et magnitudine, tum corporis cometici ipsius, tum syrmatis lucidi, caudam vocant vulgo, et lucis a sole acceptae modo tradit. Post persequitur adspectabiles situs, figurae, lucisque in syrmate varietates, comparatque cum principiis cometicis; quam theoriam cometicam appellant: quod facit singulari diligentia, quae in multitudine rerum, etiam minutarum, quarum ratio haberi debet, inprimis est ad securitatem iudicandi necessaria: descripta etiam et designata via, per quam et quomodo in eo negotio incedi debeat. Nec tamen certa hic facit omnia, sed coniecturis paullulum loci relinquit. Syrma cometarum, secundum Neutonianam rationem, e vaporibus cometae ducit, et ad extremum in aethere dissipat: nec dubitat, quin brevitas modo Neutoni nimia locum fecerit dubitationibus. Ipse de syrmatis illius miraculo ita disserit, vt primo natales vaporum in atmosphaera cometae indaget, deinde vel surgentes vel effluentes ad immensa spatia, et in aethere natantes, persequa-

ſequatur, ad extremum modum ſurgendi ad illum tractum lucidum efficiendum definiat: vſus principiis certis mathematicis et phyſicis in explicando, et vſitata illa diligentia ſua, etiam in circumſpiciendis animadvertendisque difficultatibus, et de medio tollendis: eſtque ea longior, et luculentior, et ad legendum iucundior libri pars. Nam et tum maxime miraculo eſt cometa, cum illa *pandit ſpectacula caudae*, et eius miraculi explicatio maxime expetitur. Ex vno hoc vngue cognoſcet Heinſium poſteritas intelligens, in magnisque viris eum, et veris Lipſiae decoribus, numerabunt, pauci illi quidem, ſed non de vulgo, hoc eſt, a quibus ſe ſolis ipſe cupiat probari laudarique.

Sed libellus tamen hic minus latam famam habuit, quod erat ſermone patrio ſcriptus, nec legebatur niſi a popularibus, aut linguam Germanicam doctis: nam erat iis deſtinatus proprie. Ad exterarum pariter nationum Aſtronomos *) nobilitavit viri nomen inprimis Commentariolus, quem latine ſcripſit ab reditu in vrbem noſtram (a. 1745.) inſcripſitque, latinitate mathematica, *de apparentiis annuli Saturni:* in quo praeter ea, quae de re vniverſa diſputat, ſumma diligentia perſequitur, quam ſpeciem lucidus ille circulus, qui Saturni orbem paribus vndique intervallis amplectitur, in quolibet ſideris poſitu, obiiciat ſpectantibus e terra, quocunque in loco curriculi terreſtris. Et haec ille primus enucleatius tradidit; in priori illo poſt plures alios elaboravit.

Religionis pietatisque reverentiam et amorem malebat ſenſu, a perſpicua et certa rerum divinarum ſcientia orto, et rebus eo ſenſu dignis probare Deo, quam auribus et oculis humanis per verborum ſanctorum et actionum externarum ambiguam ſpeciem. In tota vitae ratione ſimplicitatem ſequebatur, probitatem, fidem: ſua magis curare, quam aliena ſpeculari: nihil machinari

 contra

*) v. de la Lande Aſtronomie T. II. p. 1259.

contra alios: nulli sermones maligni, et alienorum vel animorum vel factorum interpretes. Fratribus et ceteris propinquis pietate, collegis, amicis, fide, integritate, etiam facilitate et suavitate satisfaciebat. Quod erat a labore docendi vacuum tempus, fere meditando, legendo, scribendo, consumebat. Itaque multa volumina Excerptorum, Observationum et Commentationum reliquit: quippe domi plurimum, raro foris erat. Φίλον οἶκον ἄριστον ducebat. Cum tamen foris vel prandebat vel coenabat, et frontem et animum, vt ante diximus, ita explicarat, vt nulla domesticae severitatis vestigia apparerent.

In corpore conspiciebatur proceritas sine gracilitate, et cum dignitate virili: color oris, qualis esse bene valentium solet, rubor nigricans. Vox gravis erat, et sermo cum dignitate tardior, praesertim in disserendo ac docendo. Corpus ipsum a natura firmitatis ac roboris plurimum habuerat; sed naturalis ille vigor fractus erat aliquantum iis, quibus supra demonstravimus, rebus. Inprimisque tentabatur subinde, per hiemem, destillationibus: quod malum etiam augebatur ipsa valetudinis et incommodi illius cavendi cura. Nam munire corpus a gravedine cupiens, cum non modo aërem liberum et frigidiorem vitaret, sed etiam calidiori cubiculo vteretur; languorem contraxit, non modo qui membra corporis, sed etiam qui viscera obtineret. Eum saepius excussit ille quidem, per aestivos menses, itineribus ad propinquos suscipiendis, et aquarum vel Carolinarum vel Pyrmontanarum, aliorumque remediorum vsu, vt etiam per autumnum, et primos menses hibernos, commode valeret, sufficeretque agendis iis, quae muneris publici rationes poscerent: at vltimis plerumque redibat languor anniversarius, prope semper cum aliqua accessione. Anno autem duodeseptuagesimo eum longe citius oppressit, atque etiam gravius. Nam mense ipso Septembri ita elanguerat, vt hiemem valde molestam medicus timeret.

Nec

Nec timor vanus fuit. Et remedia quidem adhibebantur a Ludovico nostro, cui etiam amicitia auxerat curam, efficacissima; sed eorum vis vincebatur a corporis inertia, quae nulla exercitatione in aëre libero expelleretur. Itaque consecuta sunt, quae solent, ἀνορεξία et δυσπεψία: quibus cum humorum et elaboratio, et per corpus circumactio, impediretur, ita brevi fractus est, vt prima et vigesima Maii mensis die exspiraret, anno exacto sexagesimo cum mensibus tribus, diebusque totidem.

Mors fuit similis vitae, placida et tranquilla. Et firmaverat animum adversus terrores mortis, et desideria vitae terrenae, partim per vitae ipsius tranquillitatem et prope solitudinem, non multis aut arctis vinculis adstrictus bonis et negotiis terrenis, partim per cogitationes rerum caelestium, non modo earum, quarum contemplator fuerat assiduus, i. e. adspectabilium, sed etiam, quae sub adspectum non cadunt, solaque mente per doctrinam Iesu Christi cognoscuntur; ad quarum cogitationem, etiam inter morbum, per sermones L. Koerneri adducebatur. Nec in ea cogitatione languor animi animadvertebatur, similis ei, qui corpus deiecerat: sed vigor praesto erat mentis, a perpetuis cogitationibus rerum intelligibilium exercitatae. Nam is et in corporis languore non extinguitur, aut totus deserit hominem: cum apud eos, qui rebus sensibilibus immersi sunt, raro et segniter mentem ad invisibilia attollunt, etiam in magno corporis vigore, animus ad insensibilia langueat.

Nunc sublatus a terra, vt confidimus, ad novum et sine nubibus caelum, gaudet, sub pedibus videns illa nota ante et cara sidera, spectansque e propinquo vniversae mundi machinae architectum, et motuum coelestium omnium moderatorem, Deum, mentesque circa ceteras beatas; quibuscum haurit animo toto Deum,

Digitized by Google

in eoque haerens cogitatione, liquidiſſima perfunditur beatiſſimaque ſuavitate.

Hanc felicitatem ei ita gratulari convenit, vt ad eam nos quoque adſpiremus, avellendo animo a ſenſuum vanitate et ludibriis, et ad rerum inviſibilium veritatem traducendo, ne cum tempus hinc abeundi venerit, tergiverſemur, ſed vt ad longe meliora tranſituri, obedienter et cum gaudio diſcedamus. P. P. Fer. I. Paſch. A. C. cIↄIↄccLxx.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA

RVDOLPHI AVGVSTI SCHVBARTI

ICTI PR. ELECTOR. SAX. A CONSILIIS AVLICIS CIVITATIS LIPS. CONSVLIS

In partibus magiſtratus bene adminiſtrandi, quae ſunt et multae et graves, principem, vti profecto eſt, ita iudicabat Socrates, conſentientibus ſummis reipublicae recte gerendae auctoribus, hanc, vt, qui eum gereret, cives legibus obedientes efficeret. Nam ſi in legibus ſunt fundamenta et praeſidia tum ſecuritatis, tum vniverſae felicitatis publicae, eas etiam conſervari neceſſe eſt, non modo ſic, vt ne per levitatem et inconſtantiam abrogentur et tollantur, ſed etiam, idque multo magis, vt iis obediatur ab civibus vniverſis; quod qui iis non parent, ab his eae, quantum in ipſis eſt, abrogantur ac tolluntur. Sed ea res non tam poenarum metu efficitur, qui nec certam et conſtantem in vllo genere obedientiam affert, nec ad omnes ex aequo leges pertinentem, quam diſciplina quadam, apte excogitata ad animos hominum regendos et ita conformandos, vt paullatim conſuefiant obedire legibus ſine vi et metu. Ea autem ineſt in inſtitutis, maxime publicis, ad eam rem valentibus, in quibus ineſt ea, quam *Civitatis diſciplinam* appellant, et vero etiam privatis et propriis civitatis gubernatori. Etenim vt diſciplina domeſtica non modo communia quaedam inſtituta habet, a maioribus reperta et tradita, ſed etiam praecipua quaedam, a patrisfamilias prudentia et diligentia habere poteſt: ſic et in publica Civitatis diſciplina, ad inſtituta vſu recepta accedere poſſunt ab rectoris ſapientia,

tia, virtute et diligentia, apte ad temporis cuiusque rationes excogitata, per quae illa ipſa diſciplina publica corroboretur, ne labet primum vel vniverſa vel parte aliqua, deinde praeceps eat atque intereat.

Huius ergo talis diſciplinae tum publicae tum privatae quanta vis ſit ad id, in quo praecipuam partem magiſtratus bene gerendi eſſe diximus, omninoque ad ſalutem felicitatemque publicam, et res ipſa declarat, et ſapientiſſimi viri omni tempore iudicavere. Vt nihil dicamus de Platone, cuius praeclari de Legibus libri, a principio inde, verſantur maxime in diſciplina conſtituenda: quaecunque civitates, vel a tenuibus initiis ad magnam felicitatem venere, vel ab hac ad priſtinam tenuitatem interitumque reciderunt, iis, conſenſu traditum eſt, diſciplinae vel bonitatem et conſtantiam, profuiſſe maxime ad felicitatem, vel vitia et negligentiam mala maxima interitumque attuliſſe. Gubernatores autem civitatum maxime laudantur ii, quos propria quadam diſciplina, i. e. inſtitutis quibusdam ſuis, in republica adminiſtranda, et civibus in officio continendis, vſos conſtet fuiſſe; et quae illi Civitati ſuae bona attulere, ea non modo rebus fortiter ſapienterque geſtis, ſed etiam, ac prope magis, eorum inſtitutis tribuuntur, quibus, et cives domi, et milites foris, parentiores et legibus et ſibi reddidere. Spartanae quidem Civitatis et cetera bona et diuturnitatem conſenſu veteres a diſciplina Lycurgi repetunt, per quam Lacedaemonii a pueris inde ad obedientiam promte et conſtanter legibus magiſtratibusque praeſtandam adſueti ſint. In Cyro autem nihil magis laudatur, et ad Perſici imperii felicitatem valuiſſe traditur, quam eius diſciplina ea, quam pulcerrimo opere explicavit Xenophon. Itaque Cicero cum Ciliciam provinciam accepiſſet regendam, non modo hoc egit, vt eam ex legibus adminiſtraret, ſed vel maxime hoc, vt diſciplina quadam vteretur ſua; in qua ſe, ipſe dicit, Cyri inſtituta imitatum eſſe: (Ep. ad Div. IX, 15.) nec alia re magis illam tantam laudem eſt con-

Digitized by Google

consecutus, qua tota tum Asia personabat. Illa ipsa nobilis ad Quintum fratrem epistola, quae eximiam provinciae bene administrandae formam exprimit, vel maxime est in disciplinae ratione explicanda, ad quam fratrem vult dirigere omnes magistratus in Asia provincia gerendi partes.

Sed vt in domo privata, permagna pars disciplinae est in patrisfamilias exemplo; sic in Civitate nulla legum conservandarum, et hominum ad obedientiam adducendorum, morumque ad eam rem accommodate fingendorum, certior et efficacior ratio est, quam magistratus exemplum: in quo est viva quaedam, et omni oratione disertior et legibus ipsis potentior disciplina. Nam ceterae artes atque instituta severitatis, constantiae, ac diligentiae, quibus vel caveri peccata civium possunt, vel adduci homines ad servandas leges continendasque cupiditates inimicas legibus, h. e. saluti publicae, eae et tam multae sunt ac variae, et in exercendo tantum curae vigilantiaeque habent, vt facile vel fatigent animum hominis, quamvis laboriosi, et in rebus agendis exercitati, vel eludantur multorum tum calliditate, tum impudentia. At magistratus, leges, quarum custos est, ipse servans diligentissime, faciensque constanter, quicquid ab aliis postulet fieri, nec suas vtilitates praeponens publicis, deinde vero in omni vita integrum se et liberum praestans a pecuniae lucrique cupiditate et avaritia, moderatum ac sobrium in toto vitae domesticae cultu, gravem in incommodis publicis privatisque perferendis, adversus omnes, etiam infimos, facilem, comem, multas multorum ineptias stultitiasque perpetientem, arrogantiam perferentem, ad aliorum magis arbitrium quam ad suum viventem, is vero ipsius exempli sui vel reverentia et gravitate pudefactos abstrahit a contrariis vitiis, vel pulcritudine amabili captos allicit ad virtutum amorem. Si omnia alia irrita sint, saltem os occludit hominum improborum, nihil facilius ac libentius, quam per magi-

stratuum

Digitized by Google

ſtratuum vel vitia vel peccata ſuis excuſationem quaerentium.

Atque huius talis diſciplinae exemplum egregium nuper amiſimus in Rudolpho Auguſto Schubarto, Viro Magnifico, Civitatis noſtrae Conſulari: quem cum cetera dexteritate, diligentia atque fide, in primis illa ſaluberrima exempli diſciplina in magiſtratu Civitatis gerendo vti vidimus. Neque enim quicquam eſſe a nobis in eius diſciplinae partibus poſitum confidimus, quod non, qui Viri animum, vitam moresque perſpexerit, Schubarti agnoſcat. Nam vt nihil dicamus de facilitate adverſus omnes, in rebusque omnibus, et comitate, in laborando induſtria, in incommodis et moleſtiis tranquillitate et patientia: quantum in eo fuiſſe dicamus moderationis, qui nec honorum meritis partorum magnitudine efferri ſe ſiverit, nec fortunarum ceterarum, honeſto labore et diligentia liberali quaeſitarum, copias ad magnificentiae vanitatem contulerit, ſed ſemper in priſtinae vitae modo ſe continuerit, tantum ille remotus a ſordibus, quantum abeſſet a profuſione, vni ſerviens dignitati, quam, ſapienter iudicabat, inter vtrumque vitium medium tenere locum; quem plerique magis verbo praedicare, quam re vel noſſe, vel petere ſolent. In hoc autem talium virtutum, tamque illuſtri loco poſitarum, tanto exemplo, haud difficile eſt exiſtimare, quantum bonum habuerit Civitas noſtra, quam neceſſarium his temporibus, quibus aviditas pecuniae, etiam malis artibus, per fraudes iniuriasque, quaerendae, et per vanitatem perdendae, invaſit, quae vix aliis quam divinorum malorum remediis coerceri poſſe videatur. Quo magis ille tam praeclari tam ſalubris Vir exempli dignus eſt, quem totum perſpiciant omnes, quem etiam poſteritas et ad laudandum et ad imitandum cognoſcat.

Ac primum ortus eſt genere, et paterno et materno, quod maioribus claris nobilitatum eſſet. Nam Pater Io. Auguſtus, qui mercaturam primum fecit, poſt in Con-

ſilium

Digitized by Google

filium adſcitus eſt, quod rei mercatoriae per terras Brandeburgicas praeeſſet, natus erat Andrea Chriſtophoro, Halis ad Vlrici aedem ſacrorum antiſtite, eodemque tum Eccleſiarum atque Scholarum in Dioeceſi Salana Ephoro, tum in Conſilio Eccleſiaſtico Senatore. Is autem duxerat in matrimonium Chriſtianam, filiam Andreae, ſacerdotis Halenſis, in cuius maioribus fuit is, qui propter inſignem iuris Canonici ſcientiam *Lucerna iuris* eſt appellatus: mater autem, Catharina Sophia, Io. Rudolphi, mercatoris noſtratis filia, genus referebat ad magnum Lutherum noſtrum. Nam pater eius fuerat Io. Martinus Lutherus, Senator in Conſilio Dioeceſeos Misnenſis, qui patrem habuerat Io. Erneſtum, avum autem Paullum, Martini filium. Ac his igitur parentibus natus eſt noſter Rudolphus Auguſtus in vrbe noſtra, ſuperioris ſeculi anno quarto et nonageſimo, die XXVI. Octobr. Statim ab iis deſtinatus eſt literarum ſtudiis, cupientibus per eum veterem gentis in eo genere claritatem vel conſervare vel inſtaurare. Nam cum vix biennis eſſet, referri curarunt nomen eius in Album Academiae noſtrae, matureque fecerunt omnia, per quae amor literarum iniiceretur puero, adhibendis magiſtris idoneis, a quibus doctrinae liberalis initiis imbueretur. Quae res ipſis ſucceſſit feliciter. Nam ita incenſus eſt filius ſtudio diſcendarum literarum, ita etiam profecit, vt nec parentes conſilii poeniteret, nec ipſe aliud vitae genus appeteret, quam cui a parentibus deſtinatus eſſet. Itaque cum eum cepiſſet profectum, qui in privata diſciplina eſſe poſſet, miſſus eſt Miſenam, in Scholam principalem: in qua ſub magiſtris Stubelio, Schrebero, Silligio et Kauderbachio didicit; et didicit eo ſtudio, ea ſeveritate, vt eſſet iis probatiſſimus, amareturque ab omnibus in filii modum; praeſertim qui ipſos filii pietate coleret, et ſtudio doctrinae parem probitatem atque modeſtiam in rebus omnibus iungeret. Itaque eum ſic e diſciplina ſua, exacto quinquennio, dimiſerunt, vt omnibus bonis ominibus proſequerentur, et teſtimonio

nio luculento iudicii ſui ornarent. Et erat illi etiam ſeni ita iucunda temporis in ſchola illa exacti, et praeceptorum, quos ibi habuiſſet, eorumque de ſe iudicii memoria, vt eam libenter ac ſaepe, etiam inter amicos, vſurparet. Rediit ergo bene ingenio animoque conformatus ad patrem filius Halas, quo domicilium ſedemque fortunarum Lipſia tranſtulerat. Ibi primum audivit eos, per quorum diſciplinam et augere literarum humaniorum ſcientiam, et Philoſophiam accurate poſſet cognoſcere, in his inprimis illud Philoſophiae lumen, Chriſtianum Wolfium; quem ſibi in ea parte doctrinae praeceptorem contigiſſe, in haud parva felicitatis parte ponere ſolebat. In iuris autem doctrina, et iis, quae cum ea haberent aliquam coniunctionem, doctoribus vſus eſt Chriſtiano Thomaſio, Ludovico, Gundlingio et Boehmero, viris longe lateque claris, et de doctrina literisque immortatiter meritis; in quorum ſcholis hoc profecit felicius, quo magis praeparatus literarum humaniorum diſciplinis ad eas venerat. Sed cum inter haec parentes amiſiſſet, Halis relictis, in patriam, Lipſiam, tranſiit, vbi adiumenta vitae et ſtudiorum a maternis cognatis ſperabat. Quae ſpes eum non fefellit. Nam cum ceteri, tum avia materna, Carpzovia, ita amanter excepit nepotem, ita liberaliter ſuppeditavit, quibus ei opus eſſet, vt, ab hac quidem parte, parentes non deſideraret, poſſetque coeptum Halis ſtudiorum curſum ſine praecipitatione perſequi ad finem. Itaque audivit, in doctrina iuris vniverſi, Lud. Menkenium, Io. Chriſtoph. Schacherum, Baudiſium, et Kemmerichium, qui poſt Vitebergam abiit: in fori autem conſuetudine cognoſcenda, et cauſſarum agendarum modo, magiſtrum habuit Kaeſtnerum. Ita quinquennio velut legitimo in ſcholis Iureconſultorum finito, ad forum tranſire inſtituit, probatoque per legitima examina profectu, agendarum in foro cauſſarum ius accepit, creatus etiam Notarius, anno huius ſeculi duodeviceſimo: qui ei adeo fuit primus vitae agendo peractae. Sed ille

forum

forum non ita, vt fit a multis, ingreſſus eſt, vt, velut in novum orbem delatus, veteris vitae conſuetudinisque obliviſceretur: immo vero vnumquodque doctrinae genus, et illud, quod ad humanitatem pertinet, et hoc, quod ad vitae in foro agendae rationes ſpectat, pro temporis, a rebus agendis vacui, modo coluit, vel ad animi cultum et delectationem, cui a longo tempore adſueviſſet, vel ad ſubſidium actionum forenſium, quarum vera ratio niteretur doctrinae ſubtilitate. Itaque in ipſo prope novi curriculi ingreſſu, exercitationem *de dimidia inveſtitura rei immobilis allodialis* pro cathedra, ſub D. Carolo Frid. Romano, defendit ita, vt illa difficiliori et agreſtiori iuris parte non mediocriter tinctus videretur: et quatuor annis poſt, pro Doctoris gradu, Helmſtadii Decadem quaeſtionum e iure Cambiali lectarum, quas libello Academico explicatas propoſuerat, dextre ſolerterque diſceptavit. Etenim hanc iuris partem ſibi delegerat, in qua cum primis elaboraret, ſuppeditante vſu aſſiduo a familiaritate et conſuetudine mercatorum primariorum Civitatis noſtrae. Atque ita conſtabat inter omnes de eius in hoc genere ſcientia, vt, ſtatim ab acceptis Doctoris honoribus, a Collegio mercatorum aſſumeretur, cuius conſiliis communiter vterentur. Nec tamen cetera genera cauſſarum leviter cognorat. Itaque et cauſarum maiorum in eccleſiaſtico iudicio, itemque in Curia ſuperiori agendarum ius ei creditum eſt, et tum a Collegio rerum metallicarum Islebienſi Syndicus et Procurator aſcitus eſt, et a Curatoribus Salinarum Koetſchavienſium: in quibus generibus omnibus et dexteritate et fide abunde ſatisfecit. Et ille ex hac varietate rerum hunc fructum capiebat, vt nullum genus cauſarum ipſi novum ac non tritum eſſet, et cum multis variisque hominum generibus amicitiam familiaritatemque contraheret, et ad dignitatem, et ad ſuavitatem fructuoſas, denique tantam in omni genere negotiorum, privatorum publicorumque, tractandorum dexteritatem, vt nemo eſſet ſuperior. Quae

Digitized by Google

res etiam movit Senatum Civitatis, vt eum ſibi Collegam expetendum putaret; eſtque ei Ordini adſcriptus anno ſecundo et quadrageſimo: in quo celeritur ita eluxit fides eius in rebus publicis et ſolertia, vt non modo inprimis adhiberetur, ſi quid maioris negotii eſſet gerendum, praeſertim in bello ſuperiori, ſed etiam per gradus omnes ad Conſulatum proveheretur; quem primum anno primo et ſexageſimo, et poſt, novem annis, quinquies geſſit. Acceſſere inter haec Cura Scholae templique S. Thomae et locus in Scabinatu, et ſuper omnia honores Conſiliarii in aula Principis.

In hac tam negotioſa et laborioſa vita ſuſtentabatur maxime virtutibus multis et magnis, de quibus paullo poſt dicemus: et vero etiam domeſticis et familiaribus lenimentis et ſuavitatibus plurimis et maximis. Nam primum in matrimonium duxit anno ſeptimo et viceſimo Sophiam Eleonoram, Georgii Rükeri, mercatoris primarii filiam, ſibi ingenii morumque facilitate, lenitate et pietate ſimillimam; quacum ad extremum vsque concordiſſime atque ſuaviſſime vixit, nec aliud maius habuit humanum lenimentum incommodorum ſenilium extremorumque malorum, quam ab illius pietate, per quam in eorum omnium ſocietatem aeque dolendo conſolandoque veniebat; cum ipſa viciſſim nihil per omne coniugii tempus triſtitiae ab marito habuit, quam illa vltimae ſenectutis incommoda et ex iis mortem. Cumulum his matrimonii tot ac tantis bonis magnum addidit proles, non numeroſa illa quidem, at optima; vna in re non ſatis laeta parentibus, quod non vitalis tota fuit. Nam cum duae iis filiae contigiſſent Amalia Sophia et Rahel Chriſtiana, et in vtriusque ingenio magna materia laetitiae oſtenderetur parentibus; altera ſpei pars periit, minore extincta, anno tertio et quinquageſimo: At eo maior ſeges adolevit in maiore. Nam proximo anno poſt, felicibus et ratis ominibus eam collocavere Carolo Ferdinando Hommelio, Iuris Profeſſori clariſſimo; velut feſti-

festinante providentia divina extinguere iacturae illius sensum, quam in altera filia fecissent: idque coniugium iis laetissimum fuit, concordia, faecunditate et ceteris fortunae bonis. Nam ex eo duas neptes primum, Carolinam Sophiam, anno quarto et quinquagesimo, Ioannam Fridericam, duobus annis post, totidemque nepotes viderunt, Augustum et Rudolphum; quorum alter anno sexagesimo primo, alter septimo et sexagesimo natus est, omnes ingenio, in quo egregia genti spes ostenderetur: deinde, cum ipse Schubartus ad summum in Ordine Amplissimo gradum, vt ante diximus, pervenisset, vix duo anni intercessere, cum filiae maritus ad primum in Ordine Iurisconsultorum provectus est: fuitque, raro exemplo, in eadem familia, eademque domo, socer Consul, et gener Ordinarius. Quibus rebus secundis ita ille vsus est, vt ceteris, quae in eum per omnem vitam confluxerant, omnibus, vt nec efferretur animo, nec iis ad aliam quam vanitatem abuteretur.

Erat enim et natura, et magis etiam studio et exercitatione, ita ad aequabilitatem temperatus, vt idem semper et in omni fortuna esset animus, idemque vultus; nec supra modum elatus, nec infra eundem demissus. Vnde erat illa singularis tranquillitas orationis, totiusque vitae, apparebatque, eum non extrinsecus, sed totum ex se pendere, et omnia ad pietatem et officia referre: eamque ad extremum, etiam in morbi fatalis molestiis, ipsoque mortis articulo, conservavit.

Atque ab hoc fonte ceterae virtutes fluxerant, quae in tota eius vita conspiciebantur, inprimis illa singularis facilitas et lenitas adversus omnes, invicta patientia in molestiis laborum, constantia in rebus agendis et muneribus publicis administrandis. Et ad illius animi aequitatem etiam alios, quibus cum aliquid ageretur, quorum caussas et negotia tractaret, solebat vocare. Qui facile cederet aliis, remitteretque citius de iure suo aliquid, quam contra tenderet acrius, etiam alios ad illam facili-

tatem lenitatemque, conſulendo, monendo, hortandoque ducebat, nec tamen vltra, quam fides ſua et ipſorum vera vtilitas pateretur, quae ſaepe magis cedendo, quam ſummum ius vrgendo tenetur. Nec vero aliam magis ob cauſſam libenter ei ſe cauſſasque ſuas, tutelam etiam liberorum, credebant, quicunque ſibi ſuisque bene conſultum vellent.

Nihil eo fuit aptius amicitiis, vel iungendis, vel ſuavitate conſuetudinis et officiorum fide tuendis. Itaque habuit tam numeroſas, vt nemo alius plures. Nihil erat, quod honeſte praeſtare amicis poſſet, quod ab eo non exſpectare cum fiducia liceret: offerebatque etiam officia, cum eorum facultas daretur. Sermo erat in conſuetudine familiari, in conviviis, lenis: iocus, non ille quidem frequens aut quaeſitus, ſed liberalis et moderatus: vultus hilaritate et gravitate ſuaviter mixtus, omnia ad liberalem ſuavitatem cum dignitate temperata. Et erat omnibus hominum generibus accommodatus: cum vnoquoque aptos ad ipſius vitae ſtudiorumque rationes facere ſermones poterat, qui, per vitae conſuetudinem, omnium negotia et ſtudia cognoverat: inter doctos et literatos eruditus reperiebatur, vt qui nunquam ſtudia doctrinae dimiſerat, ſed ea lectiunculis aſſiduis alebat, ſuppetente librorum ex omni genere optimorum copia: inter mercatores, mercatorem audire putares: inter omnes, eiusdem generis ac vitae ſtudioſum.

Sed illa tranquillitas maxime nitebatur religione et pietate, ipſa illa placida, et ſine oſtentatione quaeſita incurrens in oculos: nec enim aliter vera et conſtans eſſe poteſt: quam et legendi et cogitandi exercitationibus confirmabat et nutriebat. Atque eius vis maxime in vltimo vitae actu conſpecta eſt, non modo illa patientia in doloribus, ſed etiam ſermonibus, averſis ab rerum humanarum cura, vnius religionis et felicitatis futurae, a Deo per Chriſtum ſperandae, memoribus: inter quos etiam d. XXVII. Oct. anni ſuperioris ita facile placideque ex-

exſpiravit, vt mors eius non lugenda, ſed ipſi atque ſuis gratulanda eſſet: quam tamen virtus Viri luctuoſam toti Civitati fecit.

Mortis cauſſam attulit imbecillitas ſenilis, quam non modo laborum per omnem vitam exantlatorum magnitudo et aſſiduitas maiorem fecerat, quam in corpore robuſto a natura, et moderatione et temperantia perpetua, futura erat, et haemorrhoidum fluxus crebrior et copioſior auxerat; vnde marcor gravis, et reſpirandi difficultas orta erat, cui, irritis omnibus, quae adhibebantur, remediis, ſuccubuit.

Vixit annos ſex et ſeptuaginta: quae eſt longa vita aeſtimatione humana: ſed brevis ad eam, quam nomen eius in Civitate noſtra habebit, ſi grata adverſus praeclare de ſe meritos eſſe volet. Sed nulla maior gratiae adverſus eum referendae ratio erit, quam quae imitandis virtutibus eius, et ſtudio in rem publicam demonſtrabitur, tum etiam votis faciendis, vt quae ipſi fuit felicitas, ea ad ſeros poſteros eius propagetur.

MEMORIA

Digitized by Google

MEMORIA
AVGVSTI FLORENTIS RIVINI
ICTI FACVLTATIS IVRIDICAE LIPS. ASSESSORIS SENIORIS

In Oratoris virtutibus cum veteres dicendi magiſtri primam eſſe volunt hanc, vt ſit vir bonus, non alium magis Oratorem in animo habent, quam forenſem, forenſesque controverſias apud iudices tractantem, immo hunc propemodum ſolum. Nam et natales habuit in foro iudiciisque eloquentia, eſtque ad defendendas iniurias, obtinendumque ius cuiusque inventa. Sed virum bonum Latini cum proprie dicunt, locupletem intelligunt, beneque de re familiari conſtitutum: a qua ſignificatione ducta paullatim altera, quae ſpectat ad animum moresque, dum frequentatur magis, veterem prope totam primum ex vſu vitae communis, deinde etiam e memoria hominum depulit. Nempe in viri boni partibus prima ponitur fides. Ea autem propriam ſedem habuit apud veteres in re pecuniaria, cum ſolvitur ad diem, quod debetur. Hanc igitur fidem quia maxime praeſtant locupletes, quod et habent vnde ſoluant, et carent magis cauſſis fidei fallendae illecebrisque vulgaribus, propterea viri boni nomen translatum eſt ad fidem hanc, deinde et ad ceteram, quae in ſervandis vniverſis promiſſis cernitur, et in officiis inde natis; omninoque viri boni dicti ſunt, quibus credi pecunia, omnes vtilitates noſtrae, conſilia arcana poſſent, a quibus nulla in re timendum eſſet, ne per fiduciam noſtram ab iis deciperemur, et damni quid acciperemus. Sed tales eſſe magiſtri elo-

Digitized by Google

eloquentiae volebant in primis eos, qui in foro vti eloquentia vellent, ad caussas civium agendas; non modo propterea, quod iis facillime crediturus esset quisque res et iura sua, sed etiam, quod in caussis forensibus tractandis, praesertim tum, cum sine mercede agebantur omnia, magna esset materia, per quam ad perfidiam fraudemque trahi facile posset, qui non haberet pectus adversus illa irritamenta firmatum; denique in agendis caussis ne quid negligenter, neve maligne, faceret, sed summa diligentia et honestis artibus omnia.

Quod igitur in Oratoribus forensibus primum volebant illi bene dicendi auctores, id nostris moribus totum convenit in eos, qui caussas civium vel agendo, vel respondendo, vel iudicando tractant; in iisque iure primum omnium requiremus, vt sint viri boni, qui cum scientia iuris et prudentia rerum coniungant diligentiam in cognoscendo, industriam in laborando, aequitatem in decernendo, cautionem et providentiam in agendo; qui bonis artibus et per leges obtineant caussas, non, caussae malae disputando vt bonae videantur, efficere tendant; qui nihil ad lucrum, aut gratiam, aut odium referant, omnia ad veritatem, iustitiam, et fidem, sintque similes Aquillio, in quo exemplar illius virtutis proposuit Cicero, (*Or. pro Caecin.* 27.) „*cuius prudentiam* „*populus R. in cavendo non in decipiendo perspexit: qui* „*iuris civilis rationem nunquam ab aequitate seiunxit: qui* „*tot annos ingenium, laborem, fidem suam Pop. R. prom*„*ptam expositamque praebuit: qui ita iustus et bonus vir* „*est, vt natura, non disciplina consultus esse videatur, ita* „*peritus, ac prudens, vt ex iure civili, non scientia solum* „*quaedam, verum etiam bonitas nata videatur: cuius tan*„*tum est ingenium, ita prompta fides, vt, quicquid inde* „*haurias, purum liquidumque te haurire sentias.*“

Sed ad huius exempli similitudinem compositum nuper amisimus Iuris Consultum, oratoremque caussarum forensium, in Augusto Florente Rivino, Viro pri-

 mario:

mario: qui, cum esset natus ex gente ea, in qua, velut in Mucia olim Romae, hereditaria esset, a centum annis amplius, iuris, et respondendo et agendo exercendi, scientia, perfecit, vt quicquid in superioribus boni ex eo genere fuisset divisum, id vnus ipse haberet vniversum. Atque, ne de scientia iuris multa dicamus, memoria tenemus, ante triginta annos, summos quosdam huius Civitatis ICtos audivisse nos, qui scientiae quidem iuris et elegantia et subtilitate filium haud dubie praeponerent patri. In caussis porro agendis quanta dexteritas fidesque fuerit, quis nescit? cum ei constet caussas maximas creditas fuisse, illustrissimasque familias eum habuisse praecipuum, cuius consiliis atque opera in omni genere rerum vterentur, in quibus scientia iuris et fide opus esset. Cum denique ad caussarum agendarum consuetudinem accessisset respondendi de iure provincia, fatentur omnes, quos in Collegio ICtorum nostrorum habuit consortes laborum suorum et testes, nihil eo fuisse diligentius et in cognoscendo et in decernendo, vt qui rationes et momenta caussarum omnium ita severa et exacta trutina penderet, vt sibi interdum vix satisfaceret ipse. Malebat pensandi mora satisfacere religioni suae, quam decernendi celeritate et festinatione vtilitati servire: illa quippe consuli caussis; hanc periculosam esse veritati, et inimicam securitati litigantium. Sed non modo personam ICti et Oratoris forensis quomodo egerit et sustinuerit, dicendum est: qualis in omni reliqua vita fuerit, exponendum videtur.

Et quomodo quidem, et e quam clara familia natus in hac vrbe fuerit, nihil attinet dicere; est enim notum omnibus, et in Patris memoria ante annos non multos traditum *). Eum fuisse constat Io. Florentem Rivinum, Iuris vtriusque Professorem apud nos ordinarium, Canonicum Martisburgensem, et Collegii Canonicorum Wur-

*) v. Opusc. Orator. pag. 254.

Wurcensium Decanum: a quo susceptus est die XXX. Ian. anno huius seculi septimo e Clara Elisabetha, Tilemanni Andreae Rivini, Professoris Linguae hebraeae, et Archi-Diaconi ad aedem S. Thomae, filia. Ab his parentibus primum imbutus est sensu religionis, pietatis in Deum, et honestatis acerrimo, quem deinde docendo aluere et confirmavere praeceptores pueritiae primae, lecti diligenter ad hunc finem. Sed literas omnes, per quas ingenia iuvenilia praeparantur ad capiendam sublimiorum doctrinarum scientiam, tradidit dextre et fideliter I. Balthasar Hofmannus, qui etiam nunc Scholae literarum in Vrbe Martisburgensi publicae praeest. Civitati nostrae nomen dedit mature: lectiones Academicas ICtorum audire coepit annos natus sedecim: habuitque magistros iuris, praeter Parentem et Patruum, Andr. Florentem, qui post in Academia Vitebergensi primum locum inter Professores Iuris obtinuit, quicunque scientia iuris clari essent. Curriculum huius disciplinae decucurrit annis quatuor, Magister Philosophiae interea creatus a. XXV. et eiusdem privatim docendae ius adeptus Disputatione publica, super libellum de *Interpretatione philosophica*, *eiusque vsu in loco de societate*. Eodemque anno, Parente praeside, disceptavit publice, quae scripserat de *Iuramento Vicario*, quod ICti in alterius animam fieri dicunt. Ea disputatione sibi primum aditum patefecit ad honores Iuris Academicos, Doctorisque ius et nomen, cuius capessendi potestatem accepit annis duobus post, alia Diatribe disceptanda, quae de *poena gladii e legibus Romanis* explicabat. Doctor Iuris inauguratus est mox solemni ritu in aede Paullina. Ita tirocinio Iuris posito, animum adiunxit et ad docendum, et ad caussas in foro agendas: mansitque diu illa vtriusque exercitationis coniunctio, vt et instructior esset a doctrina iuris in caussis maioribus agendis, et studiosis, a quibus audiretur, vsum doctrinae in agendo luculentius posset demonstrare, denique vt, si quando in Collegium ICtorum venisset, ha-

beret etiam a ſcientia iuris praeſidia neceſſaria: nam et ita creatus erat Doctor Iuris, vt in id Collegium ſuo tempore reciperetur, et eius iuris obtinendi cauſſa diſceptaverat libellum de *impedimentis dotis a vidua dotalitii gratia inferendae.* Sed docendi conſuetudinem poſt, multiplicatis negotiis forenſibus, dimiſit, totusque fuit fori: in quo celeriter perfecit ſcientia, dexteritate et fide, vt inter principes cauſſarum Oratores numeraretur. Et ille non modo communi iure agendarum in foris cauſſarum vtebatur, ſed etiam maioribus generibus, vt cauſſarum eccleſiaſticarum, et quae in Curia maiori diſceptantur. Credita eſt ei etiam a Duce Saxoniae, qui Leucopetrae ſedebat, Io. Adolpho, cura vniverſarum cauſſarum, quae Praefecturarum Thuringicarum nomine in Curia maiori agerentur.

Nec alia honorum ornamenta defuere, quae meritis eius tribuerentur. Academia, ante hos triginta annos, ei mandavit munus Syndici Academici: ſed id ille ſuſceptum, paucis menſibus poſt, propter quasdam difficultates, praeter ipſius opinionem oblatas, depoſuit. Anno poſt inter Canonicos Wurcenſes cooptatus eſt: in quo Collegio per gradus omnes ad Decani locum ante hos octo annos pervenit, quem et pater obtinuerat, praefuitque ei Collegio magna cum fide et dignitate. Receptus eſt etiam in Collegium Iure Conſultorum, quod in Academia noſtra de iure reſpondet, in eoque, ad extremum, locum ſecundum a Praeſide tenuit: quem ille quomodo ornaverit reſpondendi et conſultandi dexteritate, diligentia, fide, diximus ſupra. Nec minus ei ſatisfecit in ceteris partibus, vt in examinandis iis, qui vel facultatem cauſſarum agendarum in foro, vel honores iuris Academicos peterent: quorum etiam honoribus interdum proluſit erudite, et ad vſus forenſes accommodate.

Sed huius muneris rationes, et illa ante laudata virtus in eo adminiſtrando, cum magnam aſſiduitatem in legen-

legendis actorum forensium commentariis, contentionemque animi in cognoscendo ponderandoque exigerent, omninoque vitae vniversae ratio, de qua post commemorabimus, corpus eius adfecerant, ipso diu non animadvertente; quod animum ab se ad labores aversum habebat, et in vita sobria, atque a curis aliis vacua, languor per multos et minutos admodum gradus venerat; praesertim cum naturali et nullis iuvenilibus vitiis fracto robore sustentaretur. Idque adeo sentiebant amici, quibus ex intervallo longiori conspiciebatur; ipse primum sensit, cum a doloribus capitis et vertigine infestari coepisset. Vis mali maior erupit in principio anni duodeseptuagesimi, cum repente ita vis animi corporisque deiecta est, vt maioris mali periculum ostenderetur. Id periculum etsi depulsum videbatur per aestiva remedia, ab vsu aëris liberi, aquarumque Pyrmontanarum: tamen, ineunte hieme, recurrit vehementius. Corpus macie exarescebat, pallor in ore luridus conspiciebatur: languorem ipse per omnia corporis membra sentiebat, intercurrentibus etiam motibus corpus convellentibus: nullus cibi appetitus erat, nec sumti digestio procedebat. Sustentabatur tamen malum vtcunque per abstinentiam a laboribus, tranquillitatem animi, et medicamenta ad corroborandum inventa. At repente, sequentis anni principio, mensis Februarii die sexta decima, fatalem plagam ei inflixit apoplexia, per quam manus, pes, totumque latus sinistrum vehementius convulsum est: vnde debilitas corpus totum tanta oppressit, vt mensis proxime secuti die duodevicesima exspiraret, exactis annis vitae duobus et sexaginta cum sesquimense.

Fuit illi finis vitae tranquillus et placidus, retinensque constantiae illius Christianae, ad quam totam vitam direxerat; cum plenus ipse esset sensuum piorum et honestorum, qui et in actionibus eius conspicerentur, nec modo iis, quae proprie essent ad exercendam internam pietatem et expromendam comparatae, sed etiam in

in his, quae ad officii publici privatique conſervationem pertinerent: in quibus et ipſis bona fide, diligenter et honeſte, procul habitis quaeſtus et vanitatis rationibus, obeundis, eſt pars religionis et pietatis Chriſtianae, minus illa quidem ſpecioſa in partem hanc, at verior plerumque et minus fallax. Et cum eſſet parentibus natus iis, quibus diximus, et adoleviſſet in domo ea, quae praecipue dedita eſſet religioni exercendae et colendae, nec ab illo ingenio degeneraſſet; tamen nemo quisquam aut verbum eius audivit vnquam ad oſtentandam religionis reverentiam comparatum, aut geſtum conſpexit.

Secundum Deum, praecipua pietas fuit, primum adverſus Parentes et ab iis genitos, poſt etiam adverſus Coniugem et liberos. Et illa quidem tanta fuit, vt eſſet exemplo. Nam et ita iucunda fuit ei aſſidua cum parentibus ſororibusque in domicilio convictuque quotidiano coniunctio, vt ſero demum matrimonii ineundi, et ſuae domus conſtituendae conſilium, nec ſine cohortatione Parentis, in mentem venerit, qui per eum maxime genus ſuum nomenque propagari cuperet. Nec ipſe in parvo bono matrimonii ita initi numerabat, quod id Parenti, quoad vita fuerat, ſenſerat eſſe, vehementer non modo probatum, ſed etiam iucundum. Cuius pietatis fructum iucundiſſimum tulit, nactus privignam et ex Coniuge filiam, quae non alio in ſe animo eſſent, quam ipſe in Parentes fuiſſet.

Sed eas filias accepit per Ioannam Chriſtianam, Triptonis, mercatoris quondam primarii, filiam, feminam primariam. Ea ante fuerat in matrimonio Io. Auguſti Suabii, mercatoris; vnde eam, quam ante diximus, privignam attulit marito novo. Id coniugium, effecerat ipſa celeriter ſuis virtutibus, vt Coniugi eſſet, ſupra quam dici poteſt, ſuave et iucundum; quod ille nec, vt ceteros ſenſus ſuos, clam habebat. Nec illa ſuavitas diminuta eſt vnquam, ſed viriditatem ad extremum conſervavit: praeſertim cum eius magna acceſſio facta eſſet

per

Digitized by Google

per susceptam ex Coniuge tali filiam, cui Ludovicae Florentinae nomen fecerat. Nam ea simul ac sensum talium parentum habere ac prodere potuit, ita patrem amore, officiis, rebus omnibus coluit, vt nihil supra, aemulante eam filia privigna, Suabia, et inducente certamen inter sorores pulcerrimum, vtra magis parentem amaret, magis parenti cara et iucunda fieret. Itaque nec ipse discrimen aliud filiarum norat, quam quod natura fecisset, confuderatque amoris aequalitate ipsius discrimina naturae: quippe et in collocanda privigna in matrimonio Adolphi Christiani Wendleri, ICti et Senatoris Civitatis Lipsiensis amplissimi, ita laetabatur, vt si suam collocaret, et huius coniugii secunda et adversa non alio animo accipiebat, quam parentis naturalis. Ipse vicissim vt pater, ita maritus optimus, paterfamilias ex optima maiorum disciplina erat: cuius domus nihil vidit, quod non esset religione sanctum, gravitate honestum, bonitate liberale. Cetera vita prorsus ad tranquillitatis finem dirigebatur; non quae ignavia et socordia teneretur, sed vacuitate malarum curarum, quibus implicantur, qui cum multis habent familiaritates, rationesque visendi, convivandi, similiumque rerum contractas. Erat a re familiari per hereditatem paternam bene instructus. Eam non admodum curabat augere, qui vnam haberet filiam; sed augebatur sua sponte, per laborum praemia, et vitae vniversae moderationem, in qua pecuniae nec per vanam magnificentiam ostentarentur, nec per luxuriam absumerentur; quae et ipsa tranquillitatis pars est non parva. Itaque non erat obnoxius aliis; neque per vitae necessitates, aut lucrandi cupiditatem, vllius vel emendicare gratiam, aut captare artibus humilibus, vel iram metuere necesse habebat; totus sui et officii, quod nullius potentis beneficio, sed libero ipse delectu suscepisset; tutus denique ab aemulatione, invidia, aliisque malis, inimicis tranquillitati animi, a quibus parum cautum est in alio vitae genere. Laborabat pro aliis libenter; in laborando industria pariter et dili-

diligentia conſpiciebantur. Ita minus ille interdum profligabat, ſed magis iis, quibus laboraret, conſulebat. Audivimus eum, cum ſuadenti, vt labanti valetudini ſuccurreret, deponendis laboribus neceſſariis et vrgentibus, quos in Collegio ICtorum ſuſtineret, ei igitur cum diceret: credo conſilium ſalubre eſſe corpori: at quae vita ſine laboribus?

In vita communi multum facilitatis et humanitatis erat: nemini ſe per vanitatem anteponere: ſuas opiniones non aliis potiores velle: ſermones ad varietatem perſonarum ac temporum accommodare: in neutram partem nimius; nec ſeveritate triſtior, nec ad hilaritatem effuſior. Et qui totus oppletus iuris ſubtilitate videbatur, tamen in ſermonibus oſtendebat, ſe non expertem ceterae doctrinae. Nam et iuvenis, vt ſupra diximus, ſtudioſe tractarat literas et philoſophiam, nec earum ſtudia prorſus dimiſerat, cum ſe ad graviores diſciplinas contuliſſet. Atque meminimus eum, cum iam per plures annos Doctoris gradum tenuiſſet, exercitationibus oratoriis, inter eiusdem ſimilisque gradus amicos, ſtudioſe vti, interdum etiam ſubito et ſine commentatione, ſuper argumento, quod ſors dediſſet, orationes habere: neque enim in illa ſodalitate de memoria modo recitabant, quae ſcripta eſſent, ſed etiam ad extemporalem facultatem dicendi exercebantur: quam facultatem neceſſe eſt ali lectiunculis e vario genere doctrinae.

In tali ingenio, animo, et vita, non eſt mirandum, ſi maximum ſui deſiderium reliquit ſuis, Coniugi in primis eximiae, liberisque, et genero ampliſſimo, magnum Collegis, amicis, denique etiam Ciuitati noſtrae, quae in eo vltimum Rivinorum clarorum amiſit. Quo magis fas eſt, nos cum vniverſa civitate memoriam Viri diligenter conſervare, omninoque gentis vniverſae Rivinae, quae rara felicitate per ſesquiſeculum et vtilitatis et ornamenti plurimum reipublicae Lipſienſi attulit. P. P. Domin. Iubilate a. C. cIↃIↃCCLXXI.

MEMORIA

MEMORIA

CASPARIS RICHTERI

SENATORIS AEDILITII MERCATORIS PRIMARII

Qui primi, relictis Scholae Pragensis dissidiis, consilium novarum sedium in hac Vrbe nostra quaerendarum inierunt, eos, memoriae proditum est, non aliud magis in eo delectu esse, quam celebratas vrbis a mercatura copias, secutos: propterea, quod per eas se hospitium, et ad multas res, et velut necessitates literarias, opportunius, et vero etiam ad liberalem studiorum cultum benignius, habituros existimarent. In quo eos vidisse plurimum, nihil ipse videat, qui sustineat dubitare. Eventus certe consilium hominum, sive a rerum modo humanarum scientia natum, sive etiam divinitus iniectum, comprobavit. Nec vero in ea re communis modo mercaturae natura valuit; etiam Lipsicae propria quaedam bonitas animadversa est.

Iam primum, cum mercatura vniversa sit communis vitae humanae ministra, non tam in necessitatibus, etsi in his quoque, suppeditandis, quam in iis, quae ad commoditatem, ad liberaliorem vitae cultum, ad copias publice privatimque profuturas valeant, vndique comportandis, vt, quod vbique, vel a naturae bonitate oblatum, vel ingenii solertia inventum, denique manu quaesitum elaboratumque sit, id domi cuiusque natum et factum videatur: per eius ministeria etiam literarum studiis suppeditari, in promtu est, vel instrumenta doctrinae comparandae atque augendae, quae vbivis reperta sint,

vel

Digitized by Google

vel materiam, in qua tractanda vis ingenii, vel ad naturae cognitionem, vel ad humanae vitae vtilitatem, exerceri possit. Quod si eadem artes has, quae pulcritudine exquisita operum suorum censentur, suis copiis aluit semper, acuitque ingenia ad eas solerter tractandas et perficiendas: quis dubitet, ab eius veluti liberalitate etiam ad doctrinas literarum iuvandas excitandasque aliquid posse redundare. Etenim, vt alia mittamus, copiae eius quam saepe perveniunt, vel hereditatibus legitimis, vel matrimoniis, vel aliis viis, ad literatos homines, iisque dant facultatem hanc, vt et ipsi in maioribus instrumenti literarii copiis esse, liberaliusque tractare studia doctrinae possint, denique adiuvare ingenia aliorum, ab fortunis nudorum, in persequendis literarum studiis; qui sunt fructus divitiarum, in homine literato, haberique debent pulcerrimi atque iucundissimi. Omnino copiae a mercatura ortae, non, quo primum venere, ibi, velut in propria sede, haerent, latentue in occulto, sed ostendere se plerumque solent, communicantque se cum multis, et commeant inter eiusdem vrbis cives multis et variis viarum divortiis. Ex quo fit, vt etiam ad literas multa multis modis, et ad perspiciendum, et ad enumerandum difficilibus, transeant.

Atque vt nihil aliud habeamus, quo studiis literarum apud nos profuisse mercaturam dicere possimus: illa ipsa, quae commemoravimus, non parva iudicanda sint in hoc genere bona. Sed sunt et alia mercaturae Lipsicae propria, etsi fortasse minus in oculos incurrant, tamen nec parva, nec ignoranda. Nam illud quidem quantum est, quod ea semper aluit, alitque cum maxime, haud parvum numerum, per frequentiam paedagogiarum, sustentavitque multa ingenia bona, vt non modo absolvere cursum studiorum legitimum sine festinatione possent, nec necesse haberent praecipitare studia sua, sed etiam vt remanere posthac, exercerique ad vitae institutae genus, etiam honores capere, sedem fortunarum in hac ipsa vrbe collocare,

care, et vbi doctrinam suam comparassent, ibidem ad vsus publicos conferre. Quod etiam haec ipsa tempora auxerunt bonum, modo sumtuum, in vita Academica faciendorum, ita aucto, per repentinam illam pecuniarum copiam, quae superioribus annis fuit, et inde natam adsuetudinem mollius vivendi in omnibus hominum generibus, vt pauci sint, qui sua suorumve pecunia vltra biennium ali possint, multi, qui ne ad eum quidem terminum: vnde fit, vt multi vel in medio cursu consistere cogantur, nec nisi inchoatam modo atque imperfectam doctrinam deportare possint.

Atque etiam liberalis adversus literas mercatura nostra publice privatimque reperta est: publice, constitutis per testamenta donationesque beneficiis, quae prodessent paupertati, discere cupienti, in posterum; privatim, beneficiis menstruis distribuendis, per quae bonis et probatis ingeniis succurreretur. Quod genus liberalitatis vt frequentius fuerit superioribus temporibus, quibus, non dicamus maior pecuniae copia, sed minor aviditas et maior frugalitas erat; tamen ne nunc quidem abolevit, servaturque, vt familiare a maioribusque traditum institutum a nonnullis bonis et gravibus viris, reliquias quasdam veteris frugalitatis retinentibus: audivimusque aliquem, ante multos annos mortuum, cum diceret laudanti eius talem liberalitatem: aequum esse, de lucro eo, quod mercatura faceret e multitudine eorum, qui studiorum caussa hic peregrinarentur, aliquid redundare eo, vnde profectum esset, in eoque se genus quoddam quasi gratiae referendae positum putare.

Ex hoc genere habuimus nuper, et magno cum dolore nostro amisimus, Casparum Richterum, Senatorem Vrbis aedilitium, et Mercatorem ex optima parentis optimi disciplina: qui cum aliis in rebus liberalis esset egregie, artesque alias fruendae pecuniae exerceret, etiam ad iuvenes, studia doctrinae aemulantes, qui a paupertate laborarent, de suis copiis redundare non parum

N sivit;

ſivit; habuitque ſemper, primum duodecim velut ordinarios, quibus binos menſtruos ſcutatos daret; deinde praeter hos extra ordinem alios, a bonis viris ſibi commendatos, quos pro modo neceſſitatis ſibi demonſtratae iuvaret: eratque pecunia, quam hoc nomine quotannis erogaret, vt in tali re, vtique permagna, liberalitas autem, quae, etiam ſi a Principe aliquo veniret, his quidem temporibus, admiranda foret. Quo magis hic talis vir ex toto etiam cognoſcendus eſt civibus noſtris, et poſteritati ad ſempiternam memoriam cum laude tradendus.

Natus erat in hac ipſa Vrbe, patre Chriſtiano, mercatore primario, eodemque Collegii mercatorum magiſtro, et cohortis vrbanae ſuccenturione, matre Ioanna Regina, ex Auerbachiorum, clara mercaturis faciendis gente, matrona ſpectatae ſanctitatis; quam annos natus tredecim amiſit. Natalem habuerat diem a. d. XVI. Septembris, anno huius ſeculi octavo. Erat Patri inprimis cara proles, quod per eam primum pater factus eſſet: nam alios tres habuit filios, quorum vnum, natu minimum, mercatorem in vrbe Gerana primarium, ſuperſtitem noſter reliquit. Itaque hoc magis curavit pater, vt optime a primis annis educaretur filius, nulli curae in ea re parcens ſumtibusque nullis. Nam a praeceptoribus domeſticis imbutum religionis et literarum initiis, miſit Geram, in diſciplinamque Gymnaſii literarii publicam; qua vtebatur cum fratre altero ita, vt et domeſticum magiſtrum haberet, eſſetque primum in domo et convictu primarii in ea vrbe antiſtitis ſacrorum, D. Cademanni, hoc deinde mortuo, D. Gerſtenbergii, ICti clari. Volebat enim filium ille quidem vitae genus ſuum ſequi, quo et ipſe ſua ſponte ferebatur; ſed non rudem a literis, itemque ad morum integritatem et vitae humanitatem bene conformatum. Neque enim mercatorem e vulgari formula fieri, ſed ſibi quam ſimillimum, cupiebat, qui et ipſe ad eam diſcendam literis non leviter inſtructus veniſſet.

Mer-

Digitized by Google

Mercaturae artes eum non apud ſe diſcere voluit, ſive indulgentiae paternae adverſus tam carum filium non ſatis fidens, quae interdum etiam ſeveris rectique exempli, qualis ipſe erat, parentibus fraudi eſt, ſive alia qua de cauſſa, ab ingenio artis oblata: miſitque Dresdam, ad peritum artis et ſpectatum fide mercatorem, Balthaſarem. Apud quem cum tantum profeciſſet, quantum in eo genere mercaturae, quod in tali vrbe exerceretur, ſperari poſſet, annos natum iam viginti, ire iuſſit Amſtelodamum ad Liſtium et Feilerum, quibuscum multas ipſe res rationesque habebat contractas, vt maiorem diſceret mercaturam, quae ab iis ample et copioſe fiebat, mercibus pariter pecuniisque tractandis. Ibi cum tres annos fuiſſet, diutiusque manere haberet in animo, de conſilio et voluntate Patris; caſus triſtis et repentinus conſilii rationes turbavit. Nam a. primo et triceſimo, Pater, cum tempore verno Amſtelodamum veniſſet, negotiorum ſuorum cauſſa, et vero etiam filii viſendi, dum redit inde domum, in via, prope Osnabrugam, opprimitur coli inteſtini dolore tanto, vt ei moriendum eſſet. Quo nuncio ad filium Amſtelodamum perlato, proficiſcitur ſine mora, vt Patri funus faciat, ducitque Osnabrugae in Baſilicam Marianam; vbi triſtes exuviae poſt altare maius repoſitae ſunt. Ibi tum rationes hereditatis cernendae, ordinandarumque rerum domeſticarum, coegere, Amſtelodamo relicta, Lipſiam repetere, vocantibus etiam fratribus, qui ſine fratre maximo non ſuſtinebant res communes attingere.

Sed rebus omnibus cum fratribus fraterna concordia compoſitis, etſi res videbatur ſuadere, vt in locum Patris ſuccederet, communiterque cum ſocio paterno, Neuhuſio, negotia ſocietatis adminiſtraret: tamen maluit, cum adhuc id aetatis eſſet, cui nimis grave onus tantae procurationis videretur, abſolvere, quae ante mortem paternam inſtituiſſet. Itaque primum Amſtelodamum repetiit: poſt, peractis, quae ibi inchoata reliquerat, in

Angliam Londinum abiit, aliasque vrbes nobiles, quibus adeundis cognofceret, non modo quae fibi pofthaec in mercatura facienda profutura viderentur, fed etiam alia, quae ad ingenii vitaeque cultum pertinerent. Cui confilio cum fatisfeciffe fe putaret, reverfus in patriam affumitur ab eo, quem ante commemoravimus, Neuhufio in focietatem rei gerendae, nec ita multo poft, (erat annus fextus et tricefimus) etiam in generi locum, collocata ei filia fecunda, Chriftiana Sophia. Id matrimonium, cum ceteris partibus laetum ei et felix effet, in prole trifte ac lugubre habuit; cuius nihil vitale fuit. Nam prima non multum vltra annum vixit, reliqua omnis, nondum partu edita, in vtero matris interiit. Hic prope annuus dolor, cumulatus etiam maiori luctu, anno quinto et quadragefimo, per mortem ipfius infelicis matris e phthifi, mixtus fuit dolore ex obitu Chriftiani Gottlieb Neuhufii, quocum per neceffitudinem affinitatis, et focietatis in mercatura exercenda, iunctus fuerat. Nam is paucis ante vxoris obitum diebus deceſſerat. Sed illa iactura gravior, duobus annis poft, feliciter reparata eft, ducta in matrimonium Neuhufii illius, affinis, vidua, Chriftiana Regina, e gente Hezeria, matrona eximia ingenii et corporis morumque forma. Itaque id coniugium iucundiffimum ad extremum habuit, nec ad felicitatis abfolutionem aliquid ei defuit praeter liberos. Nam qui ei nati funt, vel paullo poft partum obiere, vt Cafparus, et Chriftianus, et Ioanna Chriftiana, vel in prima aetate, vt quae prima nata erat Cafpara Chriftiana: ea non vltra quintum annum vixit.

Hic tam affidue recurrens dolor, quantopere affixerit animum viri, ad nullum humanitatis fenfum duri, haud difficile eft exiftimare. Sed lenimenta efficacia habebat ab Coniugis fuavitate, et ipfa doloris focietate, per quae fenfus cuiusque acerbitas minueretur paullatim atque extingueretur. Nec vero hoc vnum genus mali expertus eft; etiam alia eum exercuere: in his morbi graviores;

viores;

Digitized by Google

viores; qualis eum primum Amſtelodami invaſit, tanto cum vitae periculo, vt pro depoſito haberetur. In vtroque bello ſuperiore, quo haec Civitas afflicta eſt, quam multa paſſus eſt, non modo communiter cum omnibus, ſed etiam proprie cum paucis, in ſocietatem et exactionum, pro parte virili, et malorum, quorum tormenta ad exprimendas pecunias adhiberentur, veniendo, nihil detrectans aut defugiens, ad quod vel faciendum, vel erogandum, vel patiendum vocaretur. Quamquam ille minus in his, quam plerique alii, cruciabatur, cum eſſet et exercitatior in dolore, et in impenſis publice faciendis remiſſior. Et compenſatae ſunt eae moleſtiae rebus iucundis quam plurimis, vel a re privata, vel a re publica. Domi negotiatio maior celeriter et copioſior facta: foris honores, quicunque in eam conditionem vitae caderent, confluxere: ſignifer factus cohortis vrbanae, ſuccenturio, in ordine ampliſſimo Senator, Centurio vrbicus, Aedilis: et haec non magnis intervallis. Mandata eſt etiam Curatio ergaſtulorum publicorum, et hoſpitii orphanis alendis: eaque ita bene collocata putabatur, vt apud eum ad finem vſque manſerit. Qui ei venit tali modo.

Cum ad annum vsque ſexageſimum aetatis ita valuiſſet, vt alacritatis plurimum appareret, nihil languoris ſuſpecti, aut, e morbis gravioribus quae ſolent eſſe, reliquiarum: repente animadverſus eſt in eo quidam languor, qui etiam inter negotia, et inter amicorum coetus, ei offunderetur. Res ſuſpecta viſa eſt. Itaque medicamenta adhiberi coepta, quae illas ſomnolentiae veluti nebulas diſcuterent. Nec ea ſine effectu periere: viſusque eſt ſolitus vigor ineſſe ad initia vsque aeſtatis anni ſuperioris. Tum deſtillatione gravi laborare coepit, per quam pituitae plurimum e pectore, et ceteris partibus, quibus illud vitii colligitur, expelleretur. Eum quoque morbum remedia depulere, adiuvante diaeta ſevera. Sed anno vitae vltimo, pridie Kal. Auguſti, dum res agit in Curia, ſubito tentatur apoplexia: ex qua illo quidem die

Digitized by Google

recreatus eſt, auxilio remediorum idoneorum; ſed ad breve tempus. Nox inquieta: dies poſterus nova acceſſione infeſtus: inde debilitas tanta, vt et ipſe rem ſuſpectam haberet, et medici amicique ſpem vitae ſervandae dimitterent. Itaque ad animum aegroti corroborandum curae converſae ſunt, in partes vocato D. Matheſio, Viro Rev. inter easque curas et cogitationes pias animi, nihil refugientis mortem, meliori vitae etiam ſpe et voto occurrentis, leniter exſpiravit, die VII. Aug. expletis annis vno et ſexaginta, cum decem menſibus et viginti diebus.

Erat in eo plurimum ſolertiae: animus imbutus ſenſu pietatis et virtutis: integritas, fides dictis factisque conſtabant. In rebus privatis laborabat perite et diligenter; in publicis dextre fideliterque.

Sed in primis liberalitas conſpiciebatur, nec modo privatim erga ſuos et amicos, et alios, opis alienae egentes, de quo ſupra diximus, ſed etiam publice. In curatione quidem, quam ei proprie creditam fuiſſe commemoravimus, ſatis conſtat, plurimum de ſuo erogaſſe.

Omnino officii plenus erat: facilis et comis adverſus omnes: inter amicos facetus et hilaris, ſed intra modum. Itaque conſuetudo et amicitia eius a multis expetebatur.

In vita et cultu decus et dignitatem ſequebatur: nullae ſordes, nulla profuſio apparebat. Si quo in genere largior erat, vt forte in aedificando, ea quoque largitas ad alienos, ad tenuiorum hominum, artificum neceſſitates, et amicorum oblectationes referebatur.

Corporis ſtatura erat iuſta, habitus inter tenuitatem et obeſitatem medius: in ore dignitas, e gravitate et comitate temperata: in ſermone et motu omni grata et conſtans moderatio.

Quarum

Digitized by Google

Quarum rerum virtutumque omnium commendatio non profecto debet cum morte Viri praeclari extingui, ſed etiam in mortui memoria apud nos, apud Vos inprimis, Cives Cariſſimi, vel ob eam, quam ſupra demonſtravimus, liberalitatem ſingularem, manere, cum laude et praedicatione perpetua, atque etiam, quantum poteſt, cum poſteritate communicari, tum grati animi teſtificandi cauſſa adverſus tantam liberalitatem, tum vt alii ad eius imitationem alliciantur. P. P. Domin. XXII. p. Trin. a. c. cIↃIↃCCLXXI.

Digitized by Google

ELOGIVM *)

CAROLI CHRISTIANI DEYLINGII

CHRISTIANI ERDMANNI FIL.

SALOMONIS NEP.

In morte virorum, egregie, de religione, literis, et alia qua parte reipublicae, vel merentium, vel meritorum, ſolet eſſe in ore hominum commemoratio et conqueſtio iacturae, quam respublica in iis fecerit. Neque profecto aut iniuſta eſt ea querimonia, aut parva eſt iactura talis exiſtimanda; quae et ad rerum humanarum maximas pertinet, et omni alia iactura latius patet, denique in paucitate perpetua, excellentium in omni tali genere virorum, omnium difficillime reparatur. Nam quod in iactura veri et egregii amici plurimum habet acerbitatis, propter quod, talis iactura, maxime lugetur a ſingulis, id plane, in illorum virorum, qui proprie reipublicae amici et ſunt et habentur, amiſſionem poteſt conferri. Citius, exercitus, claſſes, pecuniae, ſimilesque opes reipublicae, reparantur, amiſſae, quam virtus et ſapientia virorum excellentium, per mortem erepta.

Enimvero, cum adoleſcentes, et excellenti ingenio a natura praediti, et vero etiam ingenio ad eximiam doctrinam et virtutem conformando ſtudioſe et conſtanter dediti, extinguuntur, non minor eſt in eo iactura reipublicae, ac prope maior, quam cum tales, quales ante diximus,

*) Hoc Elogium ſcriptum eſt nomine Excell. Borzii, illo tempore Rectoris Academiae Magnifici. Itaque omnino non Io. Aug. Erneſti, qui ſcripſit, ſed potius Borzius loqui cenſendus eſt.

Digitized by Google

mus, viri, de vita decedunt. Nam, et ſegetis herbeſcentis ſpem non ſuperat flaveſcentis maturitas, niſi propinquitate fructus percipiendi, et vtriusque interitus pari momento ponderatur. In iis autem, qui matura iam aetate, iam aliquandiu, aut longa annorum ſerie meriti, eripiuntur reipublicae, ſuus tamen conſtat fructus, aut reliquiae tantum fructus ſperati pereunt; at, in adoleſcente ad maturitatem excellentis ingenii iuvene, tota multorum annorum ſpes intercepta lugetur: et lugetur etiam, propter ipſam aetatis teneritudinem, dolentius: ſicut et in hortis magis indignamur in arboris ad fructus edendos ſe adhuc corroborantis interitu, quam annoſae fecunditatis ruina.

Sed talem, tam triſtem iacturam fecit civitas nuper in morte Caroli Chriſtiani Deylingii, iuvenis, de quo, genus, ingenii, animi, et vitae inſtitutae forma, omnia praeclara, nihil mediocre iubebant ſperare. Nam, vt mittamus generis felicitatem, de qua poſt commemorabitur, ingenium erat plane ex eo genere, quod, veriſſima Socratis aeſtimatione, felix haberetur, hoc eſt, quod et celeriter perciperet, quae traderentur, percepta autem facile retineret, denique eſſet omnium eorum diſcendorum appetens, quorum cognitionem vtilem privatim, fructuoſam publice, haberi, a bonis auctoribus didiciſſet. Animi autem impetus erant in omni honeſtatis genere perſequendo acres, in vniverſa vitae morumque ratione placidi. In ſtudiis doctrinae et officii cura, ſeveritas et conſtantia, in aequalium conſuetudine, hilaritas, ad decus iuvenilis modeſtiae temperata, reperiebatur: non minor facilitatis et obſequii adverſus omnes commendatio; denique magna et religionis reverentia, et in parentes pietas dictis factisque conſtabat.

Ab hac indole, et ab his moribus, quod non ſperare, quamvis ſeverus pater, quamvis ſeveri magiſtri potuere? quid non ſperaſſe putemus, quicunque ipſum, vel vſu ſuo, vel eorum, qui tractaſſent ingenium eius,

iudicio cognovissent. Sed vt in iis bonis multum natura ipsa valuerit; plurimum tamen naturam adiuvit disciplinae, qua vsus est, bonitas. Et erit maior fides laudibus nostris, si quomodo natus, educatus institutusque fuerit, et cetera his coniuncta commemoraverimus.

Natus igitur est in hac vrbe nostra, anno labentis seculi quinto et quinquagesimo, Patre Christiano Erdmanno, Salomonis Deylingii, Theologi nuper apud nos primarii filio, I. V. D. Curiae supremae in hac vrbe Assessore, et Senatore Praetorio, matre Io. Friderica, Christophori Beyeri, mercatoris apud nos quondam primarii, filia. Omen vitae felicis habuit hoc primum, quod eius nati nuncius, avum, aetate, morboque, ita confectum, vt lecto decumberet, sine spe resurgendi, tanto gaudio affecit, vt, velut novis repente viribus infusis, ad nepotem novum visendum festinaret, in cunisque vagientem ominibus optimis ac precibus sanctissimis pro salute eius et felicitate prosequeretur. Idque illi vltimum gaudiorum humanorum fuit. Nam decimo die post ab hac vita discessit. Ita parentibus gaudio e nova prole obscurato, vicissim laetitiae illius intercursantis sensus, dolorem parentis talis amissi, mitigavit. Sed vt primum pueri mens coepit dispicere, et e primae infantiae veluti caligine lucem rationis et intelligentiae sentire, ratio habita est a parentibus, vt curae corpusculi tuendi adiungeretur non minor animi ad intelligendum ac discendum excitandi, et sensibus honestis et sanctis imbuendi. Quam curam acuit etiam postea mors fratris Friderici Christiani, in primo aetatis flore (quintum enim annum agebat) tristissimo fato erepti: cum nihil quicquam praetermittendum putaretur, quod ad hoc vnum nominis ac generis Deylingiani subsidium et conservandum, et ita conformandum ingenio atque animo pertineret, vt familiae ac nominis dignitatem acceptam, et ipse retinere, et posteris a se auctam posset relinquere.

Initium

Digitized by Google

Initium curae illius a religione, vt fas erat, factum, assumto magistro, qui eius scientiam puero, et ad intelligendum et ad sentiendum accommodate, traderet: quod est in ista aetatis imbecillitate haud paullo difficilius, quam in adultorum firmitate. Addita mox est literarum disciplina pro aetatis modo: quarum initiis perceptis, traditus est puer M. Christiano Lebrecht Rudolpho, viro egregie docto, qui nunc sacra facit Ileburgi: a quo literarum earum scientia imbueretur, quibus aetas illa prima ad humanitatem eruditur, quem et Pater nostri, ipse literarum bonarum omnium et amantissimus, et callentissimus, consiliis in ea re adiuvit. Placuit sequi, in latinis quidem literis, rationem eam, quam Tan. Faber aptam ei aetati iudicavit, vt, initio a Phaedri fabulis facto, ad Pomponium Melam et Eutropium transitus fieret, Corneliumque deinde Nepotem: quod illius suavitate facile capitur puerilis animus, horum autem cognitio et simplicitatis naturalis sensu imbuit ingenium, et praeparat ad ceterorum scriptorum intelligentiam. In Graecis initium factum est a Ioannis Evangelio, aliisque facilioribus N. T. partibus. Huic magistro successit Ferdinandus Fridericus Graefenhain A. M. iamque ad D. Thomae Concionator Sabbathicus, vir elegantiorum literarum omnium egregia scientia praeditus. Is eum iam ad maiora adducere instituit, et cum ceterarum, tum vero etiam graecarum literarum amore incendit, sicut et eum propter ingenii animique bonitatem amabat maxime, pariterque ab eo amabatur. Itaque eo duce noster Cebetem, Xenophontem, Aeschinem Philosophum, Theophrasti Characteres, Isocratem, etiam Aristophanis aliquas comoedias legit, et Ciceronem cognoscere coepit. Tum vero ad Academiam, in primisque Ernesti senioris disciplinam est adductus, qui eum propter ea, quae ante commemoravimus bona, et vero etiam Parentis Avique caussa, amabat maxime, et per omnes occasiones ad studium doctrinae virtutisque incendebat. Audivit ergo eum

eum ſtudioſiſſime, interpretantem Ciceronis Verrinas, et hiſtoriam vniverſam, antiquitates Romanas, et eam, quam Archaeologiam literariam appellat explicantem; nec minus alterum iuniorem Erneſtum, Orationes Livianas et Plinii Panegyricum, denique Ciceronis officia interpretantem. Inter haec et ad Philoſophiam aditus ei de conſilio Parentis patefactus eſt, mathematicis diſciplinis cognoſcendis: in quibus primum ad Arithmeticae et Geometriae elementa percipienda magiſtrum privatim habuit Funccium noſtrum, deinde inter alios ſodales, Zwanzigerum, Viros Clariſſimos: a quibus bene praeparatus nos audivit, cum Wolfii Initia mathematica explicabamus. Poſt illam igitur talem praeparationem, ſuperiori anno ad Philoſophiam adiunxit animum, coepitque audire Garvium V. Cl. tanto ſtudio, vt in hoc quoque genere doctrinae egregie proficeret. Sed haec agentem, atque iam de aliis doctrinae generibus cognoſcendis cogitantem, oppreſſit morbus fatalis, per quem iſtis omnibus et tantae Parentis magiſtrorumque ſpei finis factus eſt.

Erat iuveni corpus iuſtae proceritatis; color oris, in cetera dignitate, qualis optime valentium eſſe ſolet: vigoris et alacritatis in omnibus actionibus ſane multum. Et ita bene valuerat ab initio inde vitae, vt nunquam e morbo decubuerit. Quo maior parentibus erat ſpes longioris vitae; nec timebatur eius valetudini a morbis, quibus aetas illa ſolet infeſtari. Vnus variolarum morbus ſuſpectus erat, cum ſuperiori anno graſſari coepiſſet infeſtior. Itaque, quaecunque ad eius morbi vim vel avertendam, vel, ſi incideret, leniendam, putantur valere, ea curioſe proviſa ſunt omnia, cum ipſe etiam, in cibo, potu, ceteroque vitae modo caveret ſibi ab omnibus, quae vel morbo ipſi faciliorem aditum facere audiſſet, vel impetum venientis incitare. Sed iſta omnia effectu caruere: invaſitque eum fatalis morbus; ex quo cum die Septembris primo et viceſimo decumbere coepiſſet, non ſurrexit.

Ac

Digitized by Google

Ac principia quidem mitia erant, nec vltima timebantur. Nam et valetudinis priſtinae bonitas ſpem faciebat, et puſtulae leniter effloruerant. Aderat etiam a primo initio Hebenſtreitius, Chirurgicarum artium exquiſita ſcientia et vſu ſingulari, qui et obſervaret omnes morbi motus, et faceret omnia, per quae vis eius frangeretur. Adiunctus eſt ei etiam tertia die, frater, non minor rerum medicarum ſcientia et vſu, qui omnibus et conſiliis et remediis occurrere tentabat morbo, et ſuſtentabat aegrotantis imbecillitatem. At cum puſtularum et puris maturitas maxime exſpectabatur; ecce naturae vis ſubito remittere viſa: puſtulae reſedere, nec vlla remediorum vi attolli potuere. Inde cum ad pectus materia maligna defluxiſſet, ita arctatus, ad extremum etiam oppreſſus eſt ſpiritus, vt die nono, qui fuit vltimus Septembris, ipſe occumberet, vitae annis, ſeptendecim, menſibusque duobus expletis.

Vitae finem fecit ita iuvenis optimus, vt appareret, nec imparatum a morte opprimi, nec invitum ac recuſantem a vita abripi. Nam cum morbus in curſu eſſet, nec dum vltimum periculum oſtentaretur, tamen ita ſe geſſit, iis precibus aſſidue vſus eſt, vt intelligeretur, ei mortem ante oculos eſſe. Et cum in propinquo mors eſſet, praeeunte preces, Patre, atque Praeceptore, ſe, animamque ſuam, Deo patri, et Servatori Ieſu Chriſto, conſtanter permiſit. Hunc animi habitum ſuſtentavit et firmavit alloquiis et precibus D. Eichlerus, quo et praeſente mentis vis ſopita eſt, paulloque poſt, in cari praeceptoris amplexibus placide diſcipulus optimus exſpiravit.

Nemo, ſcimus, fuit, qui non et illius morte, quae tantam ſpem extinxiſſet, et Parentum tanto dolore, quantus eſſe debuit in filii vnius, praeſertim talis, iactura, ipſe doluerit. Reſtat, vt tam praeclari ingenii animique memoriam omnes conſervemus, in primisque Vos, Comilitones Cariſſimi, in huius veſtri nuper Comilitonis exemplum intuentes, virtutes eius tam multas, tam pulcras imitemini, perficiatisque, vt nihil vobis accidere queat, cui non bene praeparatum pectus opponere poſſitis.

ME-

MEMORIA

GOTTFRIDI WINCLERI

SENATORIS AEDILITII MERCATORIS PRIMARII

Cum omnes res humanae habeant aliquid ambiguitatis, nec vlla ſit ad vtilitates humanas ita fructuoſa, vt nihil ab eadem mali eſſe timerique poſſit: non eſt mirandum, ſi et mercatura, tum ad vniverſas ſocietatis partes, tum, vt alias a nobis eſt demonſtratum, ad literas, doctrinarumque et artium ſtudia plurimum commodi habens, in iisdem illa interdum vehementer noxia et putetur et reperiatur. Nec vero ea res magis in ipſa, quam in ceteris, ad invidiam aut contemtum trahi debet; ſed ad cavendi diligentiam et in quaerendis bonis eius vſurpandisque moderationem converti. Omnino enim hoc, ab vltimis inde temporibus repetendo, reperimus, permagnas et inuſitatas pecuniarum copias, ſive a bellorum feliciter geſtorum victoriis, ſive a mercaturae amplitudine et vbertate fluxiſſent, civitates florentiſſimas non longo tempore perdidiſſe. Quod adeo non obſcurum aut dubium olim viris ſapientiae et prudentiae recte conſultis fuit, vt eſſent, qui longe alieni a nova hac ſapientia, quae in copiis pecuniarum vndique affluentium felicitatem publicam maxime ponit, iactari ſolita maxime ab his, qui cum ingenii ſtudiorumque naufragium fecerunt, hanc eius naufragii veluti tabulam arripiunt, per quam in portum fortunae aulicae invehantur: qui igitur illas copias, vt peſtem publicam, abominarentur, et, cum eae extitiſſent, vltima mala timerent, quae etiam vt vel depelle-

pellerentur, vel, quoad fieri poſſet, minuerentur, omni ratione, legum, inſtitutorum, omninoque diſciplinae cuiusdam ſeveritate laborarunt.

Etenim nihil eſt aliud, quod tantam materiam habeat, vel alendarum irritandarumque omnium cupiditatum earum, quae corpori animoque noxiae in primis ſunt, quae privatim publiceque maxime exitiales, vel etiam cum acri quodam ſuavitatis ſenſu explendarum. In iis, velut in vberrimo et pinguiſſimo ſolo, facillime ac celerrime adoleſcit, et cum laſcivia quadam convaleſcit vanitas in toto vitae cultu, aviditas et luxuria in exquirendis aſſidueque hauriendis voluptatibus, faſtus et arrogantia, circumſpiciens copias ſuas, deſpiciensque ſordes et inopiam aliorum, et ad ſuae inſolentiae miniſteria cogens. Quae ſuperbia etiam attollitur admiratione et gratia aliorum, iſtarum copiarum ſplendore captorum, inprimisque potentium; cum fit, vt hoc vtamur, id, de quo queritur apud Ludovicum Regem Agobardus, Epiſcopus Lugdunenſis (*de inſolentia Iudaeorum*), cum apud aulicos plus dicit Iudaeos, in quorum fere tum manibus erat mercatura Francica cum pecuniarum copiis, valere, quam Epiſcopos, ceterosque doctores, et vero etiam religionis chriſtianae commoda, literarumque bonarum. Atque etiam illa mala, veluti contagione quadam transeunt ad omnes, cupientes in ſocietatem vitae illius, vt putant, beatae venire; vnde malae artes pecuniae quaerendae oriuntur, quam imitatione vitiorum illorum perdant: omninoque paullatim vitae genus vniverſum fit ſumtuoſius, quam res plerorumque ferat; quod omnibus mox oneri eſſe incipit, etiam his, qui animo ſunt a vanitate illa et voluptatis amore alieni; praeſertim cum copiae pecuniariae vniverſae, vt ſaepe fit, cauſis repentinis minuuntur, deſtituuntque animos iis adſuetos: quibus malis nos premi cum maxime, quis non videt? quotusquisque non queritur?

Enim-

Digitized by Google

Enimvero etiamſi ingenii humani vitio ſit, vt perdifficile ſit, illa mala cavere: tamen intelligi quaedam diſciplina publica et privata poteſt, per quam vel avertatur illa pernicies, vel comprimatur, efficiaturque, vt in mercaturae quamvis magnae et felicis copiis, tamen frugalitas vitae ſalva ſit, eiusque fructus publice privatimque ſalubres fiant, ſalva etiam virtus reliqua, cui adeo pro inſtrumento ſint: cum ita perſuaſum eſt hominibus, vt fructum et laborum ſuorum, et copiarum inde ortarum maximum et pulcerrimum putent eſſe in benignitate, per quam et ad ſalutem vtilitatemque patriae vniverſae, et ad neceſſitates ſingulorum, conferantur. Sed vt mittamus nunc diſciplinam publicam, in privata quidem nihil efficacius eſt exemplis domeſticis; cum ii, qui in talibus copiis nati ſunt, nihil neque a parentibus audiunt, quod admirationem divitiarum habeat, neque in eorum vita cultuque vniverſo vident, quod a frugalitate abhorreat, nec ſit ad modeſtiae et honeſtae ſine ſordibus parſimoniae rationes compoſitum ac temperatum: quam vim ea exempla habent etiam in his, qui ad mercaturae bene et feliciter faciendae artes erudiuntur, earumque exercendarum adiutores et miniſtri ſunt adſciti.

Atque huius talis diſciplinae veluti per manus a maioribus acceptae, et ad poſteros propagatae, cum alia exempla ſemper multa, ſuperioribus in primis temporibus, habuit civitas noſtra, tum nulla familia plura et luculentiora, quam Wincleria: in qua et mercaturae exercendae felicitas, et in illa felicitate frugalitas liberalis, praecipuum ac veluti proprium domicilium habuit. Quis vidit illum huius, de quo nunc dicendum eſt nobis, Gottfridi Wincleri, patrem Danielem, quin meminerit idem, in eo civitatem noſtram vniverſam luculentum huius talis diſciplinae exemplum habuiſſe: in hoc Gottfrido autem quis ſuſtineat negare, nos eius exemplum praecipuum amiſiſſe?

Natus

Digitized by Google

Natus erat educatusque in re lauta: magnae divitiae ei a patre relictae, quae et honestissimis artibus, hoc est, rei gerendae peritia et diligentia augebantur. At nulla in eo divitiarum ostentatio, nulla, nec in cultu, nec in tota cetera vitae ratione, magnificentia, nullum vestigium luxus cernebatur: omnia sine sordibus frugalia, omnia sine profusione elegantia reperiebantur. Atque ad huius exempli formam etiam filium nobis reliquit, in acerrimo pulcri sensu et magno artium pulcrarum amore, nihil ab avitae *patriaeque* moderationis regula discedentem, sed omnia studia intra eius fines continentem.

Huius talis, tam digni communi imitatione exempli vir, natus est vertente seculo superiore, a. cIↃIↃcc. d. XVII. Maii, patre, quo diximus Daniele, Mercatore primario, et Senatore ad extremum aedilitio, viro in omni vitae ratione exempli probatissimi; matre autem Ioanna Rosina, Andreae Guldii, mercatoris item primarii filia. Cum destinaret filium pater ei vitae generi, quo ipse vteretur, omnia fecit diligentissime, vt id bene ingenio animoque praeparatus posset capessere, in eoque ad exemplum suum honeste, recte, fructuoseque versari. Ad eam rem cum primam et maximam vim sciret esse in animo, imbuto acri pietatis adversus Deum sensu, et honestatis virtutisque Christianae vero amore et studio: curavit ante omnia, vt per idoneos magistros ad religionis officiorumque cognitionem adduceretur, cum interea magistri institutionem ipse exempli sui in omnibus dictis et factis velut altera disciplina subsequeretur, eique plurimum et commendationis et auctoritatis apud filii animum adderet. Et erat filio natura ingenium placidum, molle, et ad omne obsequii honesti genus factum. In scientia vero mercaturae faciendae, etsi ipse inter principes numerabatur, nec parcebat curae in filio ad eam adducendo: tamen eum aliena etiam disciplina vti voluit, misitque annos natum duodeviginti Hamburgum ad amicum suum, Wehnerum, qui ibi magnam et feli-

cem mercaturam factitabat: apud quem cum per tres annos didicisset ita, vt magistro illius negotiationis plane satisfaceret, revocatus est domum, vt iam sub oculis parentis, quid profecisset, posset re gerenda expromere. Hic cum quinque annorum vsus accessisset: tum demum pater ad exteros mittendum putavit, vt clarissima in Britannia, et Batavis, et Germania emporia viseret, et cum nobilissimis quoque in loco negotiatoribus amicitias ineundi copiam haberet, etiam, si res ita ferret, res rationesque contraheret. Ex hoc itinere reduci non ita multo post pater, iam aetate gravis et confectus, etiam luctu crebro e iactura liberorum, totam negotiationem, quae ei cum fratre Hartmanno, etiam aedilitio Senatore, communis fuerat, permisit: nam et filios omnes (fuere autem praeter Gottfridum quinque) amiserat, itemque A. 1725. coniugem. Nondum annum parentis vicem sustinuerat, cum excessit e vivis pater (A. 1730.) qui vltimum e suis gaudium habuit hoc, quod anno ante mortem altero filium maritum factum vidit Ioannae Sophiae Wincleriae, filiae Hartmanni, quae, post tot annorum matrimonium, tamen mortem coniugis optimi, vt in recenti coniugio, luget.

Ex hoc matrimonio nati sunt ei filii duo, alter Gottfridus A. 1731. d. 16. Febr. alter Daniel A. 1734. a. d. III. Kal. Nov. Et hic quidem vitalis non fuit, tertio anno post functus fato: at illum alterum Gottfridum indulsit ei benignitas divina, et in eo magnam gaudiorum materiem, senectutis etiam levamentum reliquit. Nam et ipsum habuit a prima inde aetate plenum pietatis adversus se obsequiique, adultum deinde ad virilem vsque aetatem omnium bonarum rerum studiosissimum, artiumque mercaturae recte exercendae imitatorem diligentissimum, vt ei etiam ante plures iam annos suas in negotiationis societate partes delegare posset: et vidit eum in matrimonio, coniugis Ioannae Henricae, D. I. Valentini

Schmi-

Schmidii filiae, virtutibus et foecunditate, (nam quatuor ex ea nepotes habuit) beatiſſimo.

Sed ipſe in ſe habebat largam tranquillae laetitiae materiam. Erat enim ingenio a natura facili atque leni, quod nulla re, neque ſecunda, neque adverſa, vehementius moveretur; idque naturae bonum pietate adverſus Deum, et virtutum omnium ſtudio, vſu denique multo, firmaverat. Vultus ſemper idem erat, idem vocis ſonus: tranquillitasque animi omnibus in oculos incurrebat: tum idem tenor vitae; in qua eſſent omnia ad certam rationem, ad moderationis et gravitatis legem, temperata. Itaque omnibus videbatur, vt erat, amabilis, eiusque conſuetudo ab optimo quoque expetebatur: vnde multas ille amicitias optimorum virorum habuit, quas omni genere officiorum colebat. Nam omnino erat ad benefaciendum, ad gratificandum, ad iuvandos, quos poſſet, conſilio, re, factis, promtus ſemper atque paratus, fructumque copiarum ſuarum iucundiſſimum, vti eſt omnium ſapientium iudicio, ita putabat, poſſe per eas prodeſſe quam plurimis. Nam ab avaritia quidem, non modo ea, quae malis artibus pecunias quaerit, ſed etiam, quae a partarum vſu et dominum et alios arcet, alieniſſimus erat: tam procul etiam remotus a ſordibus, quantum a magnificentiae profuſione.

His tantis virtutibus commendatus, ante triginta amplius annos cooptatus eſt in ordinem Civitatis noſtrae ampliſſimum: in quo ita probata eſt eius induſtria, diligentia, fides, etiam conſtantia bello ſuperiori in vexationibus hoſtilibus pro republica ſuſtinendis, vt ante hos decem annos ad Aedilitatem produceretur, duobusque annis poſt Curator Aedis Petrinae crearetur.

Corpus erat non admodum validum: ſed quod ei robur natura negaverat, id ei tum animi perpetua tranquillitas, tum temperantia ſingularis in rebus ſuavibus vſurpandis praeſtabat. Itaque raro a morbis, neque iis vehementibus ac periculoſis, tentatus eſt, beneque, et

Digitized by Google

quantum ad res publice privatimque gerendas satis esset, valebat. Ad extremum, nec longe a morte, ventriculi gravior imbecillitas eum invasit, accedente etiam dorsi acuto dolore: sed is paucis ante mortem diebus ita remisit, vt a. d. III. Kal. Sept. anni 1771. annos vnum et septuaginta natus, sine vllo doloris sensu obdormisceret. Nec ab hac modo parte placidus vitae exitus fuit, sed etiam ab omni alia. Nam mortem, cum ante oculos esse coepisset, ita prospexit, vt nullum, neque in ore, neque in sermone, timoris vestigium appareret. Pristina illa, quam per totam vitam tenuerat, tranquillitas, etiam in morte constabat. Nam radicibus conscientiae rectae, et spei Christianae, alte haerebat: quae sola nullis timoris ac terroris velut ventis labefactari aut convelli potest.

Hunc talem vitae exitum quis non optet sibi contingere? Sed continget imitatione vitae a viro beato in his terris actae. Itaque, cum grati erga Virum, tam bene de Civitate nostra meritum, animi causa, memoriam eius retineri a nobis aequum sit, tum vero etiam nostra causa in oculis ita semper habere debebimus eius exemplum, vt eodem illo vitae cursu inter omnia secunda et adversa tenendo, portum illum tranquillitatis perpetuae laeti contingamus. P. P. Domin. Rogate A. C. cIↃIↃccLxxIII.

MEMORIA

MEMORIA

IO. THOMAE RICHTERI

PR. ELECT. SAX. A CONSILIIS FISCI MERCATORIS PRIMARII

Liberalium ingeniorum ſemper haec vis et ratio fuit, vt ſe non contineri ſinerent earum finibus rerum et actionum, quae ad vitae ſuae genus proprie pertinerent, ſed latius vagarentur, et complecti tentarent multa alia, quae ad cognitionem vtilia et iucunda viderentur, praeſertim ſi haberent aliquam coniunctionem cum iis, in quibus vitae ſuae veluti domicilium collocaſſent. Nam in ingeniis illis eſt fere inſatiabilis ſcientiae cupido, quae nullis ſe certarum regionum finibus includi ſinit, ſed ſemper novas et incognitas regiones perſequitur, ſemper aliquid inviſitati circumſpicit, quod velut alimenti novi vim et ſuavitatem adferat. Nec id in iis modo deprehenditur, quorum vita in ſtudiis doctrinae alicuius verſatur: quos etiam coniunctio eius cum aliis generibus ſcientiae ad eam rem invitat, quae interdum eſt tam magna et tam multiplex, vt nihil perfecti eſſe in illa poſſit, niſi horum cognitione adiuncta, ſed etiam, atque adeo magis, in iis vitae generibus atque artibus, quae in rebus corporeis verſantur, manibusque tractantur, praeſertim cum eae vel natura rerum, quibus occupantur, vel aliis fortuitis rebus temporum atque locorum alliciunt atque invitant ad cognitionis et ſcientiae ſtudium. Vt alia genera mittam; mercaturam, ſatis conſtat, multos olim ſui ſtudioſos, etiam per neceſſitatem quandam, ad aſtrorum motuumque coeleſtium cognoſcendorum

Digitized by Google

ſtudium adduxiſſe, ad naturamque earum rerum accuratius cognoſcendam, quibus emendis vendendisque pecunias quaererent, aut quas, mercaturae cauſa peregrinantes, vidiſſent audiviſſentve. Athenis quidem plures ex eo genere fuerunt, qui philoſophiae cognoſcendae operam darent: quorum etiam in tabernis conſiderent interdum philoſophi, vt de Socrate memoriae proditum eſt, vt colloquendi ſecum de philoſophia copiam facerent ſtudioſis ſapientiae: omninoque multa exempla reperimus mercatorum tradita, qui cum negotiatione vel mercium, vel pecuniarum, coniungerent lectionem librorum ad ſapientiam divinam et humanam, ad artes elegantiores pertinentium, hiſtoricorum item: quippe etiam, antiquioribus quidem temporibus, non raro illi ipſi, qui ſtudia ſapientiae atque doctrinae tractarent, ſeque philoſophos, aut mathematicos profiterentur, aut etiam in civilibus rebus tractandis verſarentur, eosdem mercaturam vel negotiationes exercuiſſe conſtat, vt Thaletem Mileſium, Hippocratem Mathematicum (Plutarch. in Solone pr.) et alios, per quos facile ſtudium doctrinae transire poterat ad eos, quibus cum negotia illi haberent. Nec vero dubitari poteſt, quin coniunctio talis mercaturae cum quodam genere philoſophandi ſalubris ſit et liberalis, quod ea valere poteſt ad cavendum, ne animi nimis adhaereſcant quaeſtus ſtudio, et eius veluti ſordibus inquinentur, deprimanturque ita, vt nec accipere honeſtos ſenſus, nec ad rerum divinarum amorem et ſtudium erigere ſe poſſint.

Atque talis mercatoris et negotiatoris exemplum amiſimus nuper in Io. Thom. Richtero, e mercatoribus et negotiatoribus huius vrbis primariis. Nam cum mercaturam et negotiationem non feliciter magis, quam diligenter et perite tractaret, idem etiam multum temporis tribuebat lectionibus librorum, ex vario genere doctrinae, inprimisque de artibus pulcrioribus, cuius generis librorum etiam copiam tam exquiſitam tam magnam habebat,

Digitized by Google

bebat, quae viro docto honorifica eſſe poſſet. Itaque etiam libenter verſabatur cum hominibus eruditis, vt cum iis ſermones faceret, et cum per Franciam peregrinabatur, non magis mercatores clariores requirebat, quam viros doctrina claros, et omnis generis artifices: etiam hic, per tempus hibernum, ſeptimo quoque die apud eum agebatur conventus artificum, in quo ſuper operibus artis, ex omnibus regionibus allatis, praeſertim ex genere eo, quod figuras rerum aeri incidit, diſſerebatur. Nec minus curioſus erat rerum naturalium, inprimisque ex genere metallico, quarum etiam theſaurum novum inſtituerat, opportunitatem earum colligendarum ei praebentibus fodinis Saxonicis, quarum partes multas ipſe tenebat, tum etiam clarum illud Muſeum Richteri patrui. Itaque iure eum mercatorum philoſophantium numero adſcribemus, adſcriptum agnoſcet elegans poſteritas.

Hunc talem virum edidit Lipſia noſtra d. X. Auguſti a. C. cIↄIↄccxxviii. patre Io. Zacharia, mercatore huius vrbis primario, et Senatore aedilitio, de cuius laudibus ante annos non multos diximus, matre Anna Margaretha Behrmannia, Hamburgenſi, quam annos natus duodecim amiſit, ſecuto patre ante annos vndecim proxime ſuperiores. Pater, pro ea virtute prudentiaque, quam in ipſo fuiſſe ſciunt omnes, qui cognitum habuere, fecit omnia curioſe ac ſtudioſe, per quae eius ingenium atque animus ad veram pietatem formari poſſet, et earum rerum ſcientia inſtitueretur, in quibus eſſet praeparatio ad id vitae genus, cui eum deſtinaverat, eiusmodi, quae ſimilem ipſi faceret omni genere virtutis, artis prudentiaeque. Quod quam feliciter ei ſucceſſerit, res demonſtravit. Et ipſe in omnibus illis rebus ei magiſter praecipiendo, monendo, maximeque exemplo fuit: quod eſt genus diſciplinae optimum, raro illud infructuoſum. Hac ergo diſciplina cum ſatis confirmatus videretur, eum miſit pater cum fratre minore Io. Friderico

Digitized by Google

peregrinatum, per partes Europae cultiores, in quibus et mercaturae maioris in omni genere cognoscendae, et inprimis artium pulcrarum, spectandis exemplis earum perfectissimis, cognoscendarum vberior copia daretur, etiam amicitiae cum claris mercatoribus et artificibus conciliandae, e quorum consuetudine et sermonibus posset proficere. Atque ita ille omne Belgium, Britanniam, Franciam, Italiam, Helvetiam, Germaniam, Hungariamque peragravit, ex eoque itinere, exeunte anno tertio, salvus sospesque, deinde magnis copiis non modo scientiae, sed etiam operum naturae et artium locupletatus, rediit, gaudente patre optimo, suo in ea re consilio eventum tam bene respondere, nihil ab eo, vt saepe fit, in eo itinere, vanitatis et levitatis assumtum esse, sed bona a se instituta egregie aucta. Itaque paullo post negotiationis omnis socium sibi adiunxit; in quo se patri plane probavit. Etenim in eo plane alterum se videbat, fide, dexteritate, diligentia, ceterisque virtutibus omnibus, tum communibus, tum propriis negotiatori, qui cum laude vera in ea ratione vitae versari velit. Et cum iam in illo labore tritum vsu videret, ei auctor matrimonii ineundi fuit, circumspiciendique sociam vitae, per quam molestiae laborum emollirentur, et domestici otii iucunditas pararetur. In quo ille delectu felicissimus fuit, ducta Dorothea Elisabetha, B. D. Gottl. Gaudlitii, Pastoris ante plures annos Thomani filia natu maiore, omnibus ingenii corporisque dotibus ornatissima, quae coniugium, quanquam expers sobolis, tamen venustate, facilitate, pietate aliisque virtutibus ita iucundum fecit, vt etiam sensus orbitatis extingueretur. Nec vero ei alia vitae oblectamenta defuerunt, primum e copiis fortunarum, quibus ille, inprimis quidem ad vtilitatem publicam, ad liberalitatem erga pauperes, inprimis ex iis, qui literis operam darent, vsus est, sed etiam ad oblectationem suam per illa, quae diximus musea, per hortorum praediorumque cultum elegantiorem: in quibus tamen

hac

Digitized by Google

hac moderatione vtebatur, vt oblectationis studium nihil detraheret laborum curae et patientiae, vtque nihil profusionis in illo genere cerneretur; omnia essent personae, temporibus et facultatum modo attemperata: in quo cum facillime peccent etiam liberalia et elegantia ingenia, decepta studio suo, intelligitur, quam bene apud eum omnes virtutes iunctae et copulatae fuerint. Sed ei etiam alia contigerunt virtutis praemia, quae ei iucunditatis plurimum attulerunt. Senatus ei curam pauperum mandavit; quod munus apud eum optime collocatum iudicabat, qui ipse liberalissimus erga miseros esset: nec ei locus in ipso ordine amplissimo defuturus erat, si diutius vixisset. Societas Oeconomica eum in numerum suum adscivit: et, quod maximum ei ad honorem et iucunditatem fuit, Princeps Elector ei ornamenta consiliarii apud Fiscum contulit. Sed eius honoris fructus, proh! dolor, brevis fuit. Nam eodem anno oppressus est morbo, qui vitae finem attulit.

Erat corporis species ea, quae tum dignitatis plurimum haberet, tum roboris, et valetudinis firmae opinionem faceret: sed subinde destillationibus tentabatur, et prurigine cum exanthematibus, quae cutem eroderent, et saniem funderent, denique etiam calculorum molestiis infestabatur. Levabantur illa quidem mala idoneis remediis, quae Vir artis medicae consultissimus D. Bosius, adhibebat; sed subito eum invasit febris, arthriticos motus excitans, quibus materies morbi versus caput cerebrumque pelleretur. Inde convulsiones ortae: quae quidem brevi sublatae sunt ita, vt sensuum integritas rediret; sed paullo post novo ad nervos impetu recruduit malum, atque eum ita oppressit, vt vitae finis fieret, a. d. 27. Novembris, cum annos XLV. et menses tres exegisset. Corpore mortui sectione aperto et inspecto, magna copia calculorum minorum reperta est in vreteribus, cum vivus iam plures eiecisset: in pelvi renis sinistri vnus maior, qui vreterem illum plane obdurarat.

Ita amiſimus citius, quam ſperaramus et optaramus, Virum longiſſima vita digniſſimum, non minori omnium civium, quam ſuorum luctu. Et erant cauſae multae et magnae communis luctus, qui etiam ad externos propagatus eſt. Nam, non minus officioſus erat et liberalis adverſus peregrinantes, quam cives. Et erant in eo multa, quae eum carum redderent, et iucundum omnibus, quibuscum verſaretur: comitas, facilitas adverſus omnes: in amicitia fides, in congreſſibus amoenitas ingenii et ſermonum, aequitas in iudicando, elegantia in diſſerendo de rebus ad artes pertinentibus; ſtudium earum artium iuvandarum praecipuum. Sed maxime venerabilem et amabilem Virum reddebat religionis reverentia, et pietas in Deum luculenta; cuius etiam fructum magnum cepit in fine vitae. Ea dolores levabat acerrimos, et adverſus eos animum armabat vera patientia; ea mortis inſtantis imaginem terrore omni privavit, vt eius adventum placido animo vultuque exciperet, neque tam mori, quam obdormiſcere videretur. Huius talis Viri ergo, tam multis nominibus de civitate noſtra bene meriti, memoriam, etiam grati animi cauſa, conſervare et favore praeconiisque proſequi fas eſt, atque vota facere, vt divina providentia vniverſam Richterianam gentem, cui tam multa debet civitas noſtra, et in qua verum ſeminarium optimorum inprimis mercatorum et civium habet, per multa ſecula ſalvam conſervet, eamque omnibus rebus florentiſſimam eſſe iubeat, quibus felicitas humana cenſetur. P. P. Dom. I. p. Tr. A. C. cIↃIↃCCLXXV.



MEMORIA

MEMORIA
IACOBI HENRICI BORNII
CIVITATIS LIPS. CONSVLIS PRIMARII

Fuit hoc olim in inſtitutis diſciplinae eius, qua vterentur hi, qui ad cauſas in foro agendas adiicerent animum, vt omne genus literarum atque artium liberalium ſtudioſe ac diligenter tractarent, non modo magiſtris earum audiendis, ſed etiam libris omnibus eorum aſſidue et ſtudioſe legendis, qui in iis excelluiſſent, philoſophorum, hiſtoricorum, politicorum, oratorum, auctore Cicerone, vt opinor, in primo de oratore libro, qui ipſe hanc viam ingreſſus erat ad cauſarum in foro bene agendarum facultatem et inde ad rem publicam. Atque ita hoc conſecuti ſunt ii, qui hoc modo ad illam facultatem cauſarum agendarum veniſſent, vt non modo in eo genere probarentur, ſed etiam ad rem publicam bene gerendam idonei putarentur. Itaque etiam cum Chriſtiana eccleſia conſtituta eſſet, ii, qui in foro cauſas bene egiſſent, in primis idonei exiſtimati ſunt, qui eccleſiis praeeſſent, et cum ii ſe ad Chriſti religionem contuliſſent, ei egregiam operam docendo navarent, et in eo excellerent prae caeteris. Satis conſtat, doctores eccleſiae latinae praeſtantiſſimos e foro veniſſe, Tertullianum, Cyprianum,

prianum, Auguſtinum in Africa, alios alibi, per quos etiam doctrina theologica in multis accuratior et ſubtilior facta eſt ipſo verborum delectu, quae ad notiones theologicas exprimendas adhiberentur, et cauſa religionis optime defenſa eſt. Quem Italica eccleſia habuit parem Ambroſio in docendo voce et ſcriptis? At ille ea via ad ſcientiam iuris et cauſarum agendarum facultatem venerat. Itaque et cauſas egregie egit, et e foro traductus eſt ad munera civilia, aſſumtus Conſiliarius a Praefecto Praetorii Probo, conſularia ornamenta accepit, et provinciis praefectus eſt Liguriae et Aemiliae, deinde, etſi adhuc Catechumenus, Epiſcopus Mediolanenſis factus eſt, cum nemo Epiſcopatu illo dignior putaretur: quo accepto cum ſe et ſtudia ſua ad doctrinam ſacram contuliſſet, ita eius et ſcientia et literis explicandae facultate excelluit, vt nemo ei par eſſet. Sed hoc totum habuit ab illa ratione, qua in diſcendo iure et comparanda cauſarum agendarum ſcientia erat vſus, per quam erat hoc conſecutus, vt, ad quodcunque genus ſcientiae ſe contuliſſet, in eo quam celerrime ita proficeret, vt excelleret. Neglecta eſt haec via temporibus barbaris. Itaque vulgo ne legebantur quidem libri Iuris Romani, ſed fere in compendiis, ſummas vocabant, ſtudium iuris, vt nunc fit, concluſum fuit. Sed ex his anguſtiis et ab hac ieiunitate revocatum poſt fuit iuris ſtudium, cum in Francia maxime exſtitiſſent multa ingenia praeclara, quae aditum ſibi ad meliorem iuris ſcientiam munirent per literas humaniores et ſtudium linguarum veterum, vnde Budaei, Pithoei, Cuiacii, Duareni, Donelli aliique ſimiles effloruere ICti iidem praeſtantiſſimi et literatores elegantiſſimi, ſaepe etiam politicis negotiis fungendis et curandis adhibiti, quod et prudentia in iis eſſet e ſcriptorum antiquorum curioſa lectione hauſta, et facultas de rebus publicis bene accurateque, digne denique Principis perſona dicendi ac ſcribendi, quae facultas a prudentiſſimis

tiſſimis Principibus ſemper eſt in iis ſpectata, qui rebus civilibus tractandis adhiberentur. Sed hoc genus iuris diſcendi etiam in hanc noſtram Academiam inductum eſt a Petro Lorioto, qui huc, auctore Camerario, ab Auguſto Electore vocatus, tanto iuvenum concurſu docuit, vt auditorium non caperet eorum multitudinem, cum caeterorum barbarorum doctorum ſcholae prope inanes eſſent. Erant enim per Camerarii diſciplinam imbuti ſenſu recto de ſtudiis humanitatis, vt facile ſentirent praeſtantiam illius rationis, qua Loriotus in docendo iure vtebatur, et ad eius imitationem allicerentur. Hinc igitur profecti ſunt ii, qui ante quam doctoris honores caperent, et ad docendum aut honores in re publica petendos accederent, aliquamdiu in ſcholis latinarum et graecarum literarum publice docerent: ex quo genere fuit Ioannes Scheffelius, qui a Caſpare Bornero, ſcholae Thomanae tum Rectore, impetravit, vt ſe ſocium docendi aſſumeret, vt aſſidua exercitatione docendi graecas et latinas literas, qua et ante in ſchola Dresdenſi vſus erat, et illarum ſcientiam augeret, et ingenium, linguam, ſtilumque ad ſcribendi, diſſerendi dicendique ſubtilitatem acueret: qua ratione cum per aliquot annos eſſet vſus, Doctoris honores et iura cepit; et cum ius in Academia publice per aliquot annos magna cum nominis fama docuiſſet, in ſenatum civitatis noſtrae cooptatus, ad conſulatum pervenit, in eoque munere praeclare de re publica meritus eſt. Atque huius generis ICtos plures habuit Civitatis noſtrae Senatus, etiam proxime ſuperiori aetate, Carpzovios, Graevios, et noſtra Goezios, Baudiſios, Maſcovios, qui magnum ſplendorem Academiae noſtrae atque vrbi attulerunt.

ICtis literatiſſimis illis et eruditiſſimis annumerandus iure ſuo eſt is, quem ante biennium fere magno cum dolore amiſimus, Iacobus Henricus Bornius: quem cum Pater

Digitized by Google

Pater literarum humaniorum fautor maximus iuris ſtudiis deſtinaſſet, omnia fecit diligenter, vt ad ea literis humanioribus diſcendis bene praeparatus poſſet accedere, quarum etiam amore ac ſtudio ita incenſus fuit per bonos magiſtros, vt earum ſtudium nunquam dimiſerit. Itaque ille et iuris vtriusque conſultiſſimus fuit, et in ſcribendo ita egregius, vt nemo ei par eſſet in omni genere dicendi ſcribendique ſubtilitate et elegantia, omnesque eum in vtroque genere admirarentur maxime et laudarent. Sed eius, age, de vita vniverſa breviter dicamus, et ipſum eiusque virtutes omnes deſcribamus.

Originem ille duxerat e gente, nobilitate tum generis et natalium tum ingeniorum et meritorum de re publica ſplendidiſſima: natus Patre Iacobo, Procancellario in Aula Electorali, et Conſule Civitatis Lipſ. Seniore, matre Suſanna Regina, e nobiliſſima Sileſiae ſuperioris gente Puſchia generata.

Mature emicuit in puero vis ingenii et diſcendi cupido. Quod cum ſentiret pater, ſtatim curavit eum tradi idoneis magiſtris literarum, qui ingenium et acuerent magis ad ſtudium diſcendi, et literis ad humanitatem fingerent; in his Chriſtiano Ludovico Crellio, ſcholae ad D. Nicolai aedem Rectore, quo ipſe quondam literarum humaniorum magiſtro vſus fuerat, et poſt hunc Wollio et Haltuſio, Viris doctiſſimis. Ab his bene praeparatus acceſſit ad ſtudia academica, et Philoſophiae, Matheſi, Hiſtoriae, et Iuris omnibus partibus accurate diſcendis operam ita dedit aſſiduam, vt linguarum et humaniorum literarum veterum ac recentiorum ſtudium nunquam nec omitteret nec remitteret. Nec vero aetatis mediae ſcriptores neglexit. Sed eos, et omnia illius aetatis monumenta tam diligenter cognovit, vt in ea re Maſcovianae et Haltuſianae diſciplinae alumnum facile agnoſce-

agnoſcerent omnes. Itaque paucis annis perfecit, vt primum bonarum artium et philoſophiae magiſter egregia cum laude annos natus vnum et viginti crearetur, et anno poſt vtriusque Doctor iuris. Inter haec ſubinde ſpecimina eruditionis humanioris egregia edidit, et diatribas pro cathedra defendit diſerte et ſubtiliter: in his duas, quae praeter iuris publici Germanici ſcientiam, qua ille in primis excellebat, etiam amorem erga patriam civitatem probarent, *de iure ſtapulae ac nundinarum civitatis Lipſienſis*. Poſt eum inceſſit cupido viſendi academias externas, et, annuente Patre, profectus eſt in Batavos, ibique vſus virorum clariſſimorum conſuetudine, rediit magna rerum optimarum ſcientia et multo vſu auctus. Nam Burmanni, Duckeri, Drakenborchii, et alii viri ſummi adamaverant eius ingenium et egregiam literarum ſcientiam et ſummum amorem. Itaque et libenter eius conſuetudine vtebantur, et eum praeceptis conſiliisque ſalutaribus inſtructum a ſe dimittebant: cuius generis multa ex ipſo nos magna cum voluptate audire meminimus. Redux inde ad ſuos, paullo poſt cooptatus eſt in Ordinem Civitatis ampliſſimum. In quo talem ſe in omni genere negotiorum praeſtitit, vt nunquam eius dexteritas, fides, ſcientia et prudentia deſideraretur: propter quas virtutes etiam paullatim per omnes gradus ad locum primum i. e. conſulatum pervenit; quem ille tanta cum dignitate geſſit, vt in eo exemplum conſulis perfecti exſtaret, qui et vtilitati civitatis publicae in omnibus rebus conſilio, prudentia, diſciplinaeque ſeveritate et auctoritatis conſularis conſervatione optime conſuleret. In quo etiam amore patriae ſuae inſito movebatur; cui ſe hoc et ſua et maiorum cauſa debere exiſtimabat, qui in ea ſemper et honoratiſſimi et omnibus rebus ſecundis ornatiſſimi et beatiſſimi fuiſſent. In illa autem maxima negotiorum curarumque multitudine, qua in muneribus publicis premebatur, nunquam ille ſtudia

doctri-

Digitized by Google

doctrinae et literarum neglexit, ſed aſſidue legit tum antiquos tum recentiores ex omni genere libros. Qui apud nos Conſulatum gerunt, eo anno Scabinatus laboribus liberi ſunt. Quod ergo ea re tempus ab iis vacuum habebat, conſumebat libris, biennio ſuperiori comparatis, atque ſepoſitis, legendis, cum literis, vt per iocum addebat, quaſi in gratiam rediturus. Et erat in eo ſcientia librorum optimorum egregia: quae et Bibliothecae Senatus valde profuit, cui a Maſcovii morte praefuit, quamque optimis libris permultis locupletavit. Atque etiam libenter cum viris eruditis ſermones ex hoc genere conferebat, a quibus etiam maximi fiebat, et vt ſummus literarum patronus colebatur. Itaque etiam hi maxime eius mortem luxere, in quo maximam iacturam ſe et literas feciſſe exiſtimabant. Ea ille oppreſſus eſt ante biennium a. d. V. Non. Decembres Dresdae, quo publice ierat, vt, in conventu ordinum Saxoniae, et communibus patriae vniverſae et huius noſtrae inprimis civitatis rebus conſuleret, vnde eius corpus ad vrbem noſtram deductum eſt, et in maiorum eius ſepulcro conditum, celebrantibus hoc funus omnibus, qui bene de Lipſia ſentirent, et viri tanti merita atque virtutes noſſent.

Erat in Bornio noſtro ſumma vis ingenii, ſummum acumen, ſenſus veri, recti, etiam pulcri acerrimus. Celeriter ille et rectiſſime, in quo eſſet caput rei et cauſae cuiusque, videbat: omnia ei celerrime veniebant in mentem, quibus res quaeque contineretur, et quae rectum iudicium ſuppeditarent, nec modo in rebus ad eruditionem pertinentibus, aut ad ius dicendum, ſed etiam in politicis. Itaque ei aula noſtra non modo ſummum in Academia noſtra Ordinis Iuridici locum aliquando deſtinavit atque obtulit honorificentiſſime, ſed etiam ipſa eius opera vti cupiit; ſed ille, amore civitatis patriae, nullum locum accipere ſuſtinuit, niſi qui eum non ab illa abſtra-

abſtraheret, vt in ſummo provocationum conſilio, et munus Cancellarii in Regimine Miſenenſis Epiſcopatus, quo ille magna cum dignitate et auctoritate functus eſt. Nec in hoc modo genere vſus eſt digna meritis ſuis virtutibusque fortuna, ſed etiam in reliquis omnibus. Nam ei primum matrimonium contigit fortunatiſſimum, ducta Ioanna Chriſtiana Schacheria, Quirini Schacheri Ordinis Medicorum Decani perpetui filia, virgine omnibus muliebribus bonis ac virtutibus ornatiſſima, et prole optima ex ea ſuſcepta, filio primum Iacobo Henrico, quem ad ſuum exemplum formatum vidit in aula Principis noſtri Electoris in Conſilium Aulicum receptum, deinde filiam Suſannam Chriſtianam Henricam, ingenii corporisque dotibus ornatiſſimam, quam paullo ante mortem feliciſſime deſpondit generoſiſſimo et praeſtantiſſimo Viro, L. B. Gottlobo, e nobiliſſima Beuſtiorum gente oriundo, Ducis Sereniſſimi Gothani in Curia Regiminis Altenburgi bene merenti. Contigit etiam ipſi et familiae eius ſplendoris aliqua acceſſio, antiqua gentis nobilitate novo diplomate Caeſareo firmata. Sed haec omnis Viri gentisque fortuna nihil faſtus attulit animo eius celſiori, quam vt vlla re ad faſtus humilitatem deduci poſſet, retinuitque ſemper illam facilitatem et comitatem, qua in omnium animos influeret, quam ille etiam in conſuetudine familiari, hilaritate modeſta, et faceta oratione condiebat, vt nihil eſſet eius conſuetudine iucundius.

Huius ergo talis ac tanti viri, et tam praeclare de Civitate noſtra meriti, iactura quanta ſit, quis non intelligat? et quis eam non perpetuo lugendam civitati noſtrae putet? Cauſam eius attulerunt vomicae, quae in pulmone cum latuiſſent, repletae materia maligna, ſubito ruptae, eam effuderunt in pectus, vnde cum gangraena mors venit.

Digitized by Google

Sed non satis est lugere iacturam, quam fecimus: immo faciamus, vt eam, quantum fieri potest, reparemus. Quod fiet memoria eius, et virtutum illius ac meritorum de republica nostra, conseruanda et crebro vsurpanda, vt ad eius imitationem impellamur oremusque Deum, vt familiam eius perpetuo omnibus rebus secundis florentissimam reddat, et in ea plures existere iubeat, qui maioribus suis se similes et Borniano nomine dignos praestent. P. P. Domin. III. p. F. Tr. a. C. CIƆIƆCCLXXVII.

Digitized by Google

ORATIO PANEGYRICA

IN

FRIDERICVM V

REGEM DANIAE

Digitized by Google

Quod maxime optabile videri ſolet iis, qui in magno primariorum virorum doctiſſimorumque hominum conventu dicere inſtituunt, Auditores, vt prodeuntibus in eum, vnde verba faciant, locum, comitem ſe praebeat Favor, cuius potenti commendatione, ac veluti lenociniis, conciliati ſibi ac deliniti Auditorum animi, in iis, quae non ſatis eleganter dicta videri poſſint, neque nimis acute cernant, neque faſtidiendo adhaereſcant: id mihi, hac die, in ampliſſimam hanc concionem progreſſo, ſingulari quadam felicitate, contigiſſe, vehementer laetor. Ea eſt profecto argumenti, in quo mea verſabitur oratio, dignitas, tanta magnitudo, vt eam vel ſummus orator, neque ingenii vi ſatis ſuſtinere, neque dicendi copia aequare, poſſe videatur. Etenim Patriae meae, Daniae regno, gratulandus eſt novus Rex, quem hac die ſolemni ritu inaugurari gaudet: gratulandum porro imperium ampliſſimum Regi, ita omnibus ingenii et animi dotibus regiisque virtutibus abundanti, vt ſingulari quodam benigniſſimi Numinis munere ac beneficio Daniae conceſſus videatur: quibus rebus tot ac tantis par oratio, neque ingenio reperiri, neque elaborari diligentia, poteſt. Quare, ſi in hunc Veſtrum conventum nullam aliam commendationem afferrem, niſi ingenii dicendique facultatis, cuius tenuitatem et ipſe video, et haec aetas mea ſatis arguit: facile intelligerem, fore, vt, me conſilio, pio illo quidem in Regem et Patriam, ceterum, et ad reliquam de me exiſtimationem parum pru-

 denti,

*) Haec oratio ſcripta eſt an. MDCCXXXXVII. nomine Chriſtiani Friderici a Kragh, Equitis Dani, qui tum Regi inaugurationis et coronationis ſollemnia in templo Academico Lipſ. celebrata gratulabatur.

Digitized by Google

denti, et ad Veſtrum, in hoc genere, iudicium minus eleganti, vſum eſſe, iudicaretis. Sed me, poſt pietatem, maxime, et ante in hanc mentem impulit, et nunc in dicendo confirmat, haec cogitatio: quod ſic mihi perſuaſi, atque ita animum induxi meum, vt, extra Daniam quidem, nullum locum inveniri poſſe crederem, in quo maiori favore ſe audiri ſperet in Regis laudibus occupatus, quamvis mediocris, orator. Etenim tanta inter Reges Daniae et regnatricem Saxoniae Domum coniunctio ac neceſſitudo, inde ab Auguſti, Principis Electoris, feliciſſimis cum Anna Danica nuptiis, interceſſit, tot aliis illa matrimoniis adſtricta poſtea et confirmata, eos porro Principes miſtus vtriusque Domus ſanguis dedit Saxonibus, vt nulla alia natio magis favere Daniae, Danicorumque Regum felicitati et laudibus, debeat. Nam, vt alios mittam, Chriſtianum, Ioannem Georgium: ex Anna Sophia, Friderici III. Daniae Regis filia, natum eſſe ſcitis, Fridericum Auguſtum, Principem, ingenio, virtute, rebus geſtis, maximum, qui primus regium nomen in familiam ſuam intulit: in eiusdem autem gremio ac ſinu nutritum, educatum, et ad hanc incredibilem pietatem, indulgentiam, liberalitatem, conſtantiam, ceterasque admirabiles virtutes, conformatum eſſe alterum hunc Fridericum Auguſtum, ſub cuius mitiſſima tutela Saxonia nunc adquieſcit. Quod ſi regia Domus noſtra, atque vniverſa adeo Dania, iſta gloria ſua in primis delectatur, et, hoc etiam nomine, omni, quae futura eſt, poſteritati ſe commendatam putat, denique, Veſtris Principibus mirifice favet, Veſtraque felicitate vehementer laetatur: eſt profecto pervulgatae illius Veſtrae humanitatis, noſtram quoque, Danorum, felicitatem et gloriam communem putare, et Regis noſtri laudibus favere: praeſertim cum etiam matrem habeat eam, quae ab ipſa Auguſti Veſtri ſanctiſſima, et amore Veſtro, etiam poſt mortem, digniſſima matre, ad regiae fortunae animum et magnitudinem ſit erudita. Atque haec non

eo

Digitized by Google

eo dicta sunt, quasi humanitati Vestrae diffidam: sed vt intelligatis, me, in favore Vestro sperando, nihil mihi ingenioque meo, omnia Vobis atque facilitati Vestrae, tribuere. Sed, quod spe favoris Vestri ausus essem fortasse, si postularetur, ad id etiam vltro appetendum me incitavisse fateor illud maxime, quod nullo alio in loco Rex noster dici de se ac praedicari malit, quam in Saxonia, atque in hac in primis Vrbe: cui Illum, quod omni genere literarum, et doctissimorum elegantissimorumque hominum copia, prae caeteris, affluit, pro incredibili illo in bonas literas amore, quem Vobis postea demonstrabo, impense favere scio. Quare, cum hanc semper consuetudinem docti homines coluerint, vt Principes eos, qui literas amarent, omni modo ornarent, omnique favoris ac laudis genere prosequerentur: quomodo tandem dubitem, quin et Vos Daniae talem Regem, Regi autem imperium, totis animis gratulandum putetis? Quid? quod etiam sapientiae Vestrae atque prudentiae est, optare, vt omnes ii, qui divinae maiestatis, inter homines, Vicarii et sunt, et habentur, quam simillimi sint ei, cuius personam sustinent, et, si tales etiam aliis terris contigisse Principes videatis, qualis Vestrae Patriae divino munere datus est, non modo communis humanitatis caussa, verum etiam propriae vtilitatis cogitatione, gaudere. Est enim omnium gentium quaedam inter se coniunctio et quasi cognatio: neque populorum magnorum vel felicitas, vel miseria, iisdem, quibus ipsi, finibus coercetur: sed plerumque vagatur latius, et cum permultis aliis gentibus longe lateque communicatur. Summa iam pace haec Vestra Patria, sapientissimi Regis Vestri providentia et beneficio, adquiescit. Quid vero? an propterea non sentitis calamitates, quibus alias regiones aliorum Regum dominandi cupiditas adfligit? Quis est Vestrum, qui non optet, vt bellis, quae vbique geruntur, compressis, pax omnem Europam obtineat? Quis porro nescit, quam saepe haec Saxonia septentrionis opibus, vel sublevata et adiuta, vel infestata et adflicta sit? Gaudete

igitur, gaudete, inquam, et Daniae vniverſaeque Europae gratulamini, cum divina benignitas Danis Regem conceſſit, qui ita natus, ita educatus et inſtitutus, ita omnibus regalis faſtigii virtutibus inſtructus eſt, ea denique iam ſui ſpecimina et documenta dedit, vt non modo ſperare, ſed etiam confidere, poſſimus, in eo religioni verae, literis, communique Daniae et Europae ſecuritati, paci, et ſaluti, magnum praeſidium donatum et conſtitutum eſſe.

Veriſſimum profecto illud eſt, quod Ioannes, Daniae Rex, in ore habere ſolebat: ſalutem et felicitatem populorum non eſſe ſapientiae humanae opus, ſed ſolius providentiae divinae beneficium. Sed quoniam id praeſtare populis ſolet maxime per eos, quos ſuae poteſtatis Vicarios eſſe voluit in terris, hoc eſt, per Principes: nullum ſane maius bonum contingere populis poteſt, quam Principes boni, hoc eſt, ſapientes, benigni, fortes, bonique publici amantes. Non autem eſt humani arbitrii et conſilii, tales Principes habere. Coeleſte illud donum eſt, quod iis populis impertitur Deus, quibus inprimis bene cupit. In quo convenit admirari quorundam populorum fortunam in vtramque partem. In omnibus, ecce, Iſraelitarum, inde ab Ieroboamo, ad Hoſeam vsque, Regibus, ne vnus quidem bonus Princeps eſt repertus. In Syriae quondam Aegyptique Regibus Macedonicis, poſt Seleucum Nicatorem, Ptolemaeosque duos, quam pauci, qui ferri quodammodo poſſent, quam multi, qui nihil prope humani, praeter figuram corporis, haberent? Romanis porro, poſt Auguſtum, vsque ad Veſpaſianorum tempora, quis neſcit, nullum bonum Principem contigiſſe? Aliorum contra populorum, videmus, per plura ſecula, Principes omnes deinceps fuiſſe tales, in quorum nullo quicquam, niſi fortaſſe meliorem interdum fortunam, deſiderare poſſis, ceterum ingeniis, animis, virtute, praeſtantiſſimos, et Principali faſtigio digniſſimos. Non longe ieritis, Auditores. Huius Saxoniae Principatus, ex quo tempore penes eam, quae nunc tenet, Domum fuit, quam

quam gloriosus Principibus omnibus, quam felix civibus, fuit: cum plurima et maxima, Principum sapientia et virtute, ad cives bona, nihil incommodi, culpa magis ipsorum, quam fortunae inclementia, quam praestare nemo potest, profectum sciatis? Quid? quae terrae parent Luneburgicae Domui, e qua Regina Daniae origines ducit, quantam divini Numinis curam et benignitatem, in eodem genere, sunt expertae? Quis enim fuit, ne altius ascendamus, inde ab Ernesto illo, qui Friderici Sapientis, Saxonis, sororem in matrimonio habuit, e quo natus est Vilelmus is, qui novae Luneburgicae Domus auctor est, ab illo igitur Ernesto, vsque ad hunc Georgium Augustum, Britanniae felicissimum Regem, quis fuit, quin omnibus principalibus virtutibus, rebusque praeclare gestis, nobilitatus sit? sub cuius imperio, si non nova incrementa potentiae dignitatisque accederent, quod plerisque contigit, tamen cives omnes beatissimi et essent, et haberentur.

Atque eadem hac felicitate etiam Daniam vsam esse reperietis, a tempore illo, quo divinitus haec Danis mens iniecta est, vt summam rei publicae ad Oldenburgicam Domum deferrent. Horret animus memorare, et meminisse refugit, qualis, quam turbulenta, antea regni Danici fuerit conditio, cum privatae cupiditates publica salute potiores essent, perpetuisque fere discordiis intestinis respublica agitaretur. Quorum malorum omnium finem, plurimorum autem maximorumque bonorum initium, advocata fessis rebus Domus Oldenburgica attulit. Nam cum ea in Daniam commigravit, primo, prudentia, quam, traditum memoriae est, vnice spectatam esse in primo illo Christiano, qui e tribus Theoderici filiis est delectus: deinde, sapientiae et literarum amor, cuius aeternum monimentum idem ille Christianus in Academia Hafniensi, ab se condita, reliquit: denique, non modo conservandi, sed etiam augendi, regni mira felicitas. Tempus me deficeret citius, quam oratio, si, de omnibus, qui post hunc Reges

Daniae fuere, a quibus quidem Fridericus noſter genus ducit, ſeparatim dicendo, demonſtrare inſtituerem, quam diligenter illi omnes, non modo iſtius Chriſtiani virtutes, tanquam imperii et felicitatis publicae certiſſima pignora, conſervarint, verum aliis etiam, veluti fortitudine bellica, religionis verae retinendae propagandaeque, vel ad vltimos orbis terrarum fines, ſtudio, in adverſis rebus conſtantia, auxerint. Cuius rei certiſſimum argumentum hoc eſt, quod Lex Regia, per Fridericum III. inducta, ita cupide quondam a volentibus Danis gaudentibusque accepta eſt, vt ab aliis populis ſolet repudiari, ita nunc, poſt tot annos, probatur, vt nemo antiquum ſtatum deſideret, ſed malit quisque, rerum ſumma talium Regum ſapientiae et poteſtati permiſſa, ſolida felicitate, quae ipſa libertas eſt, frui, quam, rei publicae ſtatu per factionum diſſidia turbato, vanis libertatis ſimulacris eludi. Atque, vt non negem, aut dubitem, in ea re vim permagnam habuiſſe exquiſitam quandam, et conſtantem, et propriam ei familiae, diſciplinam, quae animos ad regalem fortunam capiendam, ſapienterque vtendam, conformaret: tamen etiam ſingularem quandam divini Numinis providentiam interceſſiſſe arbitror, quae, praecipua quadam in Danos indulgentia, fecunda illarum virtutum ſemina ſpargeret in animis omnium, et conſervaret, neque antiquam illam praeclaram indolem exoleſcere potius, quam confirmari, pateretur. Cuius rei novum atque illuſtriſſimum documentum Te iam habemus, Friderice Potentiſſime, Patriae Pater indulgentiſſime: in quo, placuit benignitati divinae, illud antiquum ſuum, in Reges Daniae, ipſamque adeo Daniam, beneficium non modo tueri, ſed etiam augere. Etenim adeo non ſivit indolem Tuam, vllo in genere, quicquam degenerare a Maiorum virtutibus, vt potius, quae illis ſingulae contigerant, eas in Te contulerit vniverſas. Tibi id ingenium, eum animum, dedit Deus, vt nobis ſanctiſſimi Parentis ſapientiam et pietatem referas,

referas, Avi benignitatem in cives reddas, Proavi fortitudinem reſtituas. In Te admiramur Abavi moderationem in ſecundis, conſtantiam in adverſis: cuius demonſtrandae vtinam Tibi, poſt acerbiſſimam Patris mortem, nunquam vſus veniat! in Te Friderici II, et Chriſtiani IV. incredibile in literas ſtudium amamus.

Atque iſta tam divina naturae bona excellens et vna Principe, inprimisque Danici Regni herede, digna diſciplina etiam vehementer auxit et confirmavit. Etſi enim ita eminebant illa, ita non leviter adumbrata, ſed expreſſa, erant omnia, vt Eum divina quaedam ipſius naturae, omni humana potentior, diſciplina conformaſſe, et humanam operam ſupervacuam feciſſe, videretur, omnesque, veluti perfectum ſimulacrum coelo demiſſum, intuerentur: tamen, neſcio quomodo, promovit inſitas virtutes, magisque conſpicuas fecit cultus, et roboravit doctrina. Ex quo intelligi poteſt, quam ſapiens illa, quam perfecta, quam efficax, fuerit, quae tanta bona, vel adſtruendo cumulare, vel poliendo elaborandoque in melius fingere, potuerit. Sapientiſſimus ille Socrates, excellenti indole praeditos, et ad res magnas gerendas, ſalutemque generis humani, factos eſſe, dicebat, eos, qui celeriter perciperent ea, quae traderentur, percepta firmiter retinerent, tum omnium doctrinarum appetentes eſſent, per quas quis rem privatam et publicam bene adminiſtrare, omninoque hominibus, rebusque humanis omnibus, dextre vti, poſſet. Talem Friderico indolem datam eſſe videbat Divus Pater, videbant omnes, quibus, propius Eum contingere et inſpicere, dabatur. Nam, cum in diſciplinam datus eſſet iis, qui literarum et ſapientiae principalis doctrinas traderent, quod factum eſt ea aetate, quae in aliis nondum admittit hunc ingenii cultum, tanta erat in arripiendo celeritas, vt magiſtrorum expeditiſſimum ſtudium, properantemque induſtriam, non modo aequaret, ſed etiam, felici quadam feſtinatione, praecurreret: tanta in retinendo firmitas ac tenacitas, vt omnia,

omnia, non in molli cerebro ſcripta et impreſſa, ſed in aere ac marmore inſculpta, viderentur: ea denique ſollertia in intelligendo ac iudicando, vt nihil tam obſcurum eſſet, quod non ingenii lumine illuſtraret, nihil tam retruſum, ad quod non penetraret acumine, nihil inſita quadam veri falſive ſpecie tam ambiguum, in quo non verum celeriter cerneret. Quae autem eſt diſciplina, quae ingenium, vel ad intelligendi iudicandique elegantiam fingit, vel ad honeſti, iuſti, aequique, ſcientiam erudit, vel ad prudentiam rei publicae, pace belloque adminiſtrandae, acuit: quae porro animum, vel ad magnitudinem celſitudinemque extollit, vel ad conſtantiam fortitudinemque roborat, vel ad lenitatem humanitatemque mitigat, vel ad liberalitatem beneficentiamque allicit: quam non, vltro adamatam, cupidiſſime appetierit, appetitam ſtudioſiſſime coluerit, excultam denique in lucem conſpectumque proferre cupierit? Sed, quanto excellentiorem Ei inſitam indolem cerneret ſapientiſſimus Parens, tanto magis eam dirigendam perficiendamque diſciplina putabat. Itaque non modo Rector iuventutis datus eſt, qui ſcientia et vſu rei publicae gerendae excelleret, Roſencranzius, Purpuratorum princeps, ſed etiam viri exquiſitae elegantisque doctrinae ſunt delecti, qui Eum omnibus, tam praeclaro ingenio et regio faſtigio dignis, diſciplinis erudirent. In primis duo illa maxima Daniae eruditae, atque adeo orbis literati, ornamenta, Grammius et Scheidius, amabili huic et felici miniſterio admoti ſunt. Et Grammius quidem hiſtoriam docere iuſſus eſt, vnde fata, cum aliorum populorum, tum Sui aliquando futuri, diſceret, magnorum virorum, in primis maiorum Suorum, virtutes et res pace belloque geſtas, cognoſceret, artes bene glorioſeque regnandi hauriret, prudentiam denique vtriusque fortunae recte et magnifice ferendae pararet. Scheidius autem iura tradidit, non modo ea, quae civibus deſcripta ſunt, ſed etiam, quibus gentes inter ſe devinciuntur, Principumque fortunae ac ſpes continentur. Addita etiam

ſunt

ſunt praecepta philoſophiae, non ieiunae et vmbratilis, quae ingenia minutis et inanibus quaeſtiunculis frangit et opprimit: quam profecto non intelligebat Plato, cum philoſophiam bene imperaturis commendaret: ſed eius, quae vitae et imperio inventa eſt, quae, ſecundum Socratis definitionem, ad res privatim ac publice gerendas adducit, animos manſuetos facit, calamitates, neceſſarias quidem, moderate ferre, ab inſcitia autem oriundas cavere, docet. Sed quantumvis praeclara et fructuoſa fuerit talium virorum talis doctrina: tamen eſt Ei cum aliis communis: at proprie vſus eſt ea, quae ingenium animumque ad ſanctiſſimi Parentis, omniumque maiorum Suorum, imitationem erudiret. Haec longe pulcherrima, haec efficaciſſima, haec ſola Ipſo digna, diſciplina fuit.

Arbitror, Vos intellexiſſe, Auditores, comparandoque animadvertiſſe, ſimillimam, planeque geminam, eſſe hanc diſciplinam ei, qua Celſiſſimum illum Veſtrum Fridericum Chriſtianum adhuc vſum eſſe, et ſcitis, et gaudetis. Quare attendite, quaeſo, porro, quam vberes, quam laetos, et praeclaros illa, in Friderico Rege, iam tulerit fructus, commemorantem, et, quos deinceps editura ſit, non fallaci, aut levi coniectura augurantem, ſed certa, et haud dubia, ſpe, et fiducia, praedicentem, atque vel ſic, quae Veſtram Patriam felicitas et gloria maneat, proſpicite.

Ac prima quidem, in primisque, extulit ſe altius inſita illa facilitas et comitas, quae cum animos hominum, in quocunque ea ſit, mirifice ad benevolentiam allicit, tum maxime amabilis eſt in iis, quos longiſſime ſupra ceteros mortales poſuit Deus, et hoc ipſo ab eorum commercio prope ſeiunxit. Videbat humaniſſimus Princeps, magnum Parentem ita maieſtatem et comitatem, Regem et hominem, miſcuiſſe, vt hoc prope vno maior omnibus et altior videretur, quod omnium ſalutem curaret vnus. Accedebat literarum et ſapientiae ſtudium, quod, ſemper hanc vim habuiſſe, obſervatum eſt, in magnis viris et

Prin-

Digitized by Google

Principibus, vt eos ab altitudine sua ad inferiorum consuetudinem veluti demitteret, et propemodum aequaret, cum omnibus, tum praesertim iis, quibuscum similitudine studiorum coniungerentur. Occurrebat ergo nobis humanitate sua, et restitantes cunctantesque altitudinis verecundia, alliciebat comitate: contingi Se et compellari, velut vnum e nobis, cupiebat, et, quanto quisque in adeundo, alloquendo, respondendoque, promtior et liberior, tanto Illi gratior et iucundior videbatur: tantumque aberat, vt Suae illos magnitudini aliquid detraxisse putaret, vt ab iis vel maxime coli Se et honorari iudicaret. Cuius rei, mihi saepe contigit, vt testis et admirator essem, cum admissus ad Ipsum, cum aliis aequalibus, nulla re alia maiorem nobis et altiorem, quam ingenii et virtutis magnitudine, viderem, nulla re superiorem, nisi quod communis nobis ad sapientiam et virtutem hortator et magister esset. Nolite enim existimare, Auditores, nihil aliud, aut Principem, in nobis admittendis, quaesisse, quam, vt nos humanitate sua impertiretur, nihil aliud nos, nisi honoris illius dulcedinem, retulisse. Princeps Ille iuventutis, non tam nomine, loco, ac dignitate, volebat videri, quam sapientia, virtute, doctrina: et, vt Pater Principis Daniae nomen, beneficiis in vniversos, providentiaque, tueretur: sic Ipse iuventutis Se Principem, hortando, monendo, consulendo, probabat, eiusque iuventutis Princeps esse optabat, quam Sibi simillimam Ipse fecisset. Itaque semper hoc, et maxime, agebat, vt nos ad sapientiae et virtutis studium incenderet, omnesque honestissimo aemulationis certamine committeret. Fecundissima Ille virtutum semina felici spargebat manu, quae iam in multis laetissimam segetem tulerunt, ferentque haud dubie in pluribus. Mihi quidem ante oculos semper obversatur Principis vultus, adhuc sonant in auribus, haerentque pectore, incitantes ad virtutem voces, meque dies noctesque monent, vt dignum me beneficiis Eius, consiliis, exemplo, vtilem patriae, sapientiae virtutis-

Digitized by Google

tutisque ſtudio, reddam, neque conquieſcere me, aut vllo labore retardari, in eo curriculo, ac defatigari, ſinunt. Sumus ergo et erimus omnes opera Tua, Sapientiſſime Princeps, Tuique muneris ac beneficii erit, quicquid doctrina et virtute poterimus. Te ſibi providiſſe ac conſuluiſſe ante, quam imperares, grata agnoſcet patria; Teque Patrem Patriae factum ante iudicabit, quam appellarere.

Non poſſum Vobis, Auditores, omnia nunc omnium virtutum documenta commemorare, quae, ante imperium ſuſceptum, edita ſunt ab Optimo Principe. Etenim, tanta eorum eſt multitudo, vt comprehendi huius orationis finibus nullo modo poſſint, feſtinatque animus ad laetum illud tempus, quod Eum ad ſummum Daniae imperium extulit. Itaque continebo me in vno genere, et, quae magnitudo et celſitudo animi ſe in Principe iam tum exſeruerit, docebo: qua virtute nullam eſſe ſcitis, neque ad hominum admirationem excellentiorem, neque faſtigio principali digniorem. Huius autem virtutis exemplum maximum, et commemoratione digniſſimum, edidit, vix ſeptimum decimum egreſſus annum, magnam materiam vicina Suecia praebente. Tanta ibi tum erat rerum perturbatio, vt ad interitum ruere res publica videretur. Foris vrgebat hoſtis, et potens, et vlciſcendi cupiditate incenſus: domi ardebat diſcordia, civibus in diverſas factionum partes diſtractis. Neque iam conſilio videbatur locus eſſe, cum per tumultum omnia agerentur. His malis relictam eſſe tandem Sueci medicinam vnam hanc videbant, ſi Regi, ſenectute et laboribus feſſo, Princeps potens, ſapiens, fortis, Regni hereditate data, adiungeretur, quocum curas et onus imperii partiri, et ita ſubvenire laboranti rei publicae, poſſet. Hic magna pars, conſilio, deſtinatione, ac votis, rem deferebant ad Fridericum noſtrum: ei fortunam regni, ei ſalutem ſuam, rectiſſime credi videbant. Sed eorum conſilia, voluntatem, ac ſpem, partim metus retardabat, partim aliorum

Digitized by Google

aliorum adverſa conſilia deſtituebant. Quid ibi Fridericus noſter? qua mente, quo animo, fuit? Multa ei veniebant in mentem, quae a rei, etiamſi concordibus voluntatibus deferretur, recipiendae conſilio avocarent. Sciebat, Numam Pompilium, ab initio, abnuiſſe imperium Romanum, quod turbulentum eſſet, bellique magis, quam pacis, artibus adſuetum. Audierat, Fridericum Sapientem, Saxonem, Imperii Germanici ad ſe delatam tutelam, propter temporum illorum gravitatem, ſuſcipere noluiſſe. Meminerat, ipſos quondam Danos Regnum ſuum Adolpho, Chriſtiani I. avunculo, propter inteſtinas Regni turbas, fruſtra obtuliſſe, et ad alium reiectos eſſe. Horum autem gloriae non modo nihil, eo conſilio, deceſſiſſe, ſed acceſſiſſe plurimum, didicerat. Occurrebat porro, non tam referre, quam multis praeſis, ſed quam beatis, et in Principes quoque convenire, quod Virgilius agricolis praecipit: laudanda ingentia rura eſſe, mediocria melius et fructuoſius coli. Sed contra intelligebat etiam illud, magni animi eſſe, alieno magis, quam ſuo, otio conſulere: Deum eſſe, iuvantem mortales mortalem: hac via ad immortalitatem omnes magnos homines eſſe graſſatos: hac eniſos maiores Suos, aeternam gloriam attigiſſe: hac, magno paſſu, cum maxime vadentem Parentem ſequendum eſſe. Itaque ſic induxerat animum, vt non dubitaret, omnia diſcrimina ſubire, ſi iis redimere Sueciam volentem a pernicie poſſet: praeſertim, cum Regni paterni ſecuritati et felicitati, propter viciniam, magnum praeſidium ea re videretur poſſe adiungi. Ceterum, vim adhibere, etſi poterat, ſuccinctus quippe Regni paterni viribus, adiutusque partium ſuarum, in ipſa Suecia, opibus, tamen, cum, nec invitis imperandum, nec ad ſalutem cogendum quemquam, arbitraretur, conſtanter, et magno animo, recuſavit. Nam, cum regia poteſtas ad conſervationem tutelamque generis humani inventa ſit, non ad ſuperbiam ſingulorum, aut perniciem parentium: maiorem gloriam Sibi exiſtimabat, ab tali moderatione,

ratione, quam ipſo regno, venturam, in quo comparando vlla vis, aut cuiusquam clades, interceſſiſſet. Ac profecto, cum nullius rei humanae maior, quam Regni, dulcedo ſit, haud paullo difficilius maiorisque animi eſt, ſpem eius oblatam ſponte dimittere, quam vi et armis perſequi, in primis, ſi ſuppetant, et, cum quadam iuris ſpecie, capi poſſe videantur.

Huius autem moderationis cum maximum hunc dulciſſimumque fructum capiat Patria noſtra, vt iam Regem Optimum totum teneat ſola, ſolam Ipſe curet ac foveat: tanto maiorem illa ſibi neceſſitatem amandi, in oculisque ferendi, Regis impoſitam videt: ſi neceſſitas eſſe poteſt in eo, quod volens, lubens, gaudensque, facit. Quanquam vel ſic Ille, iam tum, Patre vivo, ita amabatur ac colebatur, vt nullam acceſſionem capere poſſe tantus amor videretur. Praeterquam enim, quod mira Danis eſt regii nominis et ſanguinis caritas: ſive ea indoles ingeniorum eſt, ſive potius ita maiores meruerunt: hunc Fridericum, inde ab vltima aetate, ita in deliciis habuerunt, vt nomen Eius, oratio, vultus, inceſſus denique ipſe, voluptati eſſet: vt prodiens in publicum omnium aetatum concurſus faceret, omnique populi ſignificatione floreret. Quod cognitum eſt maxime in ſolemnibus feliciſſimarum, cum Celſiſſima Sua Ludovica, nuptiarum. Etenim, illo tempore nemo fuit, quin omni modo profunderet abditum intus et luctantem erumpere amorem, geſtientique laetitiae habenas totas permitteret: veluti vereretur quisque, ne non ſatis amare tam amabilem Principem, non ſatis laetatus eſſe bonis eius ac felicitate, videretur, niſi omnibus laetitiis inceſſiſſet. O! quae tum voces, modo Principi, modo ſuam ſibi, felicitatem gratulantium audiebantur! Profecto curae eſſe Deo res Danicas, cordi eſſe Fridericum ſuum, cui Coniugem tam amabilem, tam omnibus corporis animique dotibus ornatiſſimam, hoc eſt, Friderico digniſſimam, dederit! Nihil eſſe iam,

Digitized by Google

quod non ſperent ipſi, nihil, quod metuant poſteris: conſultum eſſe ſibi, proviſum ſerae poſteritati! quam enim ſubolem e tali coniugio naſci, niſi laetiſſimam Parentibus, feliciſſimam civibus, poſſe? Valerent ergo ambo cum Parentibus regiis! Viverent ad ſeram ſenectutem, omnesque vitae dies, huic pares gaudio et felicitate, agerent!

Audiſſe Numen videbatur tam pia, tam nulla adulatione conficta, tam nulla alia, niſi amoris, vi expreſſa, vota: cum ecce! Patrem Friderici, laetum regni felicitate, et Filii ingenio, virtutibus, coniugioque, gravis morbus invadit, mox mors humanis rebus eripit. O! quantus tum dolor Filio, quantus luctus civibus, venit! Etenim, amiſſus erat is, quem Filio natura, vniverſis animus, fides, indulgentia, caritas, Patrem feciſſet. Sed maximus ex eo caſu ſenſus ad Filium pervenit: quippe cives ſola pietate et amore movebantur, ſecuri publicae felicitatis, cuius certiſſimum pignus Filium Regis haberent: Illum autem cura quoque gravis et multiplex angebat. Ea aetate Sibi ſapientiſſimum Patrem ademtum, qua maxime ſapientia Eius prudentiaque frui poſſet, atque cuperet: ſubeundum eſſe tam grave tanti Regni, atque inſuetum onus, quod paternis humeris tam bene ſediſſet: ea autem tempora eſſe, ita Europam bellicis tumultibus concuti, ea miſceri pluribus partibus, atque parari, vt vix ſenili prudentia gubernata rei publicae navis enavigare cautes, et otii tranquillitatisque portum tenere, poſſit. O! pietatem amabilem! o! modeſtiam ſingularem! o! documentum paris imperio animi certiſſimum! Malle, Patre vivo, diu parere, quam, mortuo, celeriter imperare: magis gaudere ſapienter monentis iubentisque, quam comiter parentium, et imperari ſibi aliquid poſtulantium, vocibus: contentum eſſe hereditate ea, quae, Patre ſalvo et vivo, cernitur, virtutis ſcilicet paternae, tardam et ſeram optare eam, quae Patris morte venit: imperata capeſſere laetum et feſtinantem, im-

perium

Digitized by Google

perium cunctantem et tristem! Haec sunt pii, haec magni regiique animi, haec pulcherrima Regni optime administrandi argumenta et pignora certissima. Ergo, veram esse veterem sapientum vocem, doces, Princeps Magnanime, quae, eum demum bene imperaturum, pronunciat, qui bene libenterque paruerit, nullamque meliorem Principatus disciplinam putasti, quam, quae obsequio ad imperandum erudiret. Ergo Tibi datum fuit, vt veros circa Te amicos haberes, quod vulgo negatum Principibus creditur, et, aut nunquam audita Tibi, aut statim reiecta est, improba illa assentationis Siren, quae aures Principum maxime, pueris adhuc, et vix propemodum natis, incredibiles sapientias et prudentias occinendo, infestat. Profecto, si nullum aliud Tui specimen ante dedisses, qui dedisti plurima, et maxima, et pulcherrima, hoc vno Te agnosceremus talem, qualem sibi praeesse populus, non inimicus saluti suae, velit.

Vere hoc, arbitror, me dicere posse, nullum vnquam Principem, maiori et iustiori omnium civium de se spe et favore, ad imperium venisse. Neque Ipsum latebat, qui Suorum de Se sensus essent, quae virtutis fiducia. Etenim ita, in omnium vultu et sermonibus, eminebant, ita in adspectum omnium se profuderant, vt non sentire nullo modo posset is, qui etiam occulta, penitusque retrusa, intelligere didicerat. Neque adeo poterat ignorare sua bona: quis esset, quid didicisset, quid per plures annos egisset, ad quid Se exercuisset. Sed nihilo minus Ille, velut ignarus istorum omnium, velut nondum cognitus Suis ac probatus, nihil aliud agere, nisi, vt, novis Sui experimentis edendis, bonam de Se spem commoveret in posterum, et auspicia imperii, praeclaris indies institutis factisque, inprimisque beneficiis in singulos et vniversos, commendaret.

Et initium quidem duxit a Pietate in Divum Patrem, non tam magnificentissime eum efferendo, quamquam sic quoque, quam consilia eius, instituta, decreta, federa,

Digitized by Google

conservando ac retinendo: quae est vna maxime et Patre et Filio digna laudatio, tanto illa maior et illustrior, quanto solet esse rarior, quantoque maior factorum est, quam verborum, fides. Nemo beneficium, locum, a Parente acceptum, per Filium amittit: nemo caussam tristitiae e morte Patris habet, praeter amorem: neque in iniuriam trahitur cuiusquam dolor: sed tanto plus Sibi honoris habitum Rex iudicat, quanto plus memoriae paternae tributum videt. Iisdem consilii publici auctoribus, rerumque gerendarum administris, quibus Pater, vtitur: nihil gravius, et gloriae Suae inimicius, existimans, quam de Parentis tam prudentis, tam bene de Se meriti, iudiciis iudicare, nihil tam abhorrens a sapientia, quam a sapientissimi Regis consiliis discrepare. Neque vero cuiquam in mentem venerat, aliter futurum, suspicari. Cognoverant enim Pietatem Principis: sciebant, saepe, vivo Patre, consiliis publicis interfuisse: quid, quomodo, a quoque ageretur, nihil privatis commodis, aut ambitioni, omnia bono publico tributa, viderat: quae agerentur, comprobarat: vt, si a Patris consiliis discederet, a Se ipso dissentire videretur: id quod ab Eo tanto videbant esse alienius, quanto constantiorem in bonis sapientiae studia fecissent. Ergo securus quisque dignitatis ac fortunarum suarum ad Te, eademque, qua ad Patrem antea Tuum, alacritate, adiit, Rex Optime, cum Te Regem salutatum veniret: Tu autem eodem, quo Pater, vultu excepisti, et nunc quoque excipis omnes, tenax illius comitatis atque humanitatis, qua dudum in animos summorum atque infimorum influxeras. Neque enim simulationem eius assumseras, sed a natura penitus insitam iudicio confirmaras: neque eam temporibus dederas, sed civium amori tribueras. Haec igitur prima, atque, haud scio, an maxima, imperii Tui commendatio.

Quid vero? an illa Vobis parva videtur, quam literarum ornandarum iuvandarumque singulare studium attulit? Amat Sapientissimus Princeps literas, quia didicit:

cit: amari et coli a Suis vult, quia publice privatimque fructuosas Ipse cognovit. Et amoris quidem huius demonstrandi facultatem amplam et insignem praeclarum Academiae Soranae opus praebuit: quod Ille, a Divo Patre institutum et profligatum, magnifice peregit. Voluit Ipse eius dedicationi interesse: non modo, vt novam Musarum sedem studiis civium commendaret, sed vel maxime, vt eam praesens Ipse in tutelam suam fidemque reciperet. Nullum ibi genus indulgentiae et humanitatis in quemquam omissum constat. Admissi in conspectum, qui literas docerent: excepti vultu, ad omnem benignitatem explicato: dimissi laudantis adhortantisque vocibus pleni, irent certi securique benivolentiae Suae, tanto quisque magis, quanto magis literas et studia discentium iuvisset: meminissent, florem iuventutis Danicae, spem patriae, futuraeque felicitatis curam, sibi commissam. Iuventutis autem ipsius, quae ibi literas disceret, studia quomodo incensa Regis praesentia et favore putatis? Videt enim sibi discenda, quae Rex Ipse amet, intelligat, vtilia rei publicae credat, sentiat: tanto quemque vtiliorem patriae, atque hoc ipso gratiorem Regi, fore, quanto plus in literis elaborarit, profecerit. Atque etiam Sibi in animo esse Rex pronunciavit, in honoribus tribuendis, primam quidem ac summam rationem dignitatis ducere: ceterum, in iis, qui pari dignitate essent, cives potiores fore: non, vt excluderet quemquam ab honorum et beneficiorum Suorum spe: extingueret enim ingeniorum certamina, quae cupit incendere: sed vt aemulationis stimulos subderet animis civium, tantoque acrius omnes sapientiae praemia, spem suam, persequerentur.

Neque vero quasdam modo partes rei publicae Sibi cordi esse demonstrat, sed etiam vniversam cura Se et sapientia amplecti ostendit. Videbat, Sibi regnum relictum esse saluberrime constitutum, legibus institutisque sapientissime temperatum, concordia intestina coagmenta-

tum et firmum, mercaturis magnis et fructuosis locupletatum, literarum etiam studiis et ingeniis florens, verbo, consentiens maiorum Suorum sapientiae et meritis, dignum Se Rege. Sed istorum bonorum omnium neque perpetuitatem retineri, neque fructum maturescere et percipi posse, intelligebat, nisi conservata pace, quae esset cum dignitate coniuncta, et ab omni metu remota. Nam, simul ac belli metus, etiam inanis, ingruat, debilitari hominum, literis operantium, studia, diminui mercaturam, labefactari fidem: vbi autem bellum ipsum exarserit, prorsus affligi omnia, silere ipsas leges, vniversam denique rem publicam penitus conturbari. Itaque nihil Se, hoc est, sapientia Sua, animi magnitudine, et amore in patriam, dignius iudicavit, nihil prius Sibi agendum, Sapientissimus Rex, putavit, quam, vt, Se pacis auctorem ac defensorem perpetuum fore, probaret. Cepit ergo hunc etiam e literarum et verae sapientiae studio fructum, vt intelligat, veram nominis et gloriae magnitudinem non rerum in bello primis gestarum titulis, parari, quibus heu! nimis, cum summa pernicie generis humani, capiuntur vanae magis, quam magnae, Principum animae, et magnae potius, quam bonae, appetentes famae: non, quamplurimo sanguine innoxio et Christiano profundendo, vrbibus diripiendis ac diruendis, regionibus ferro ignique vastandis: quae, quis bona fide credat, esse pulchra, magna, et laude digna, ac non saevorum Neronum, Domitianorum, Attilarum, quam magnorum Principum, similiora? Vnde ergo magnum nomen, veramque immortalitatem petendam putat? Nempe, a maxime pacis artibus, a beneficiis in singulos et vniversos, a civium conservatione, ac Regni vniversi felicitate. Hac via ad gloriam et aeternitatem contendisse, didicit, omnes, qui verae sapientiae iudicio magni habentur: his nominibus in Deorum numerum quondam homines, fama et opinione populorum, fuisse sublatos: his agendis ad similitudinem Dei, qui solus optimus maxi-

maximus vere dicitur, aſcendi. Vult ergo pacem, non minus, quam cives Sui: ſed pacem, altiſſimo animo Suo et gloria d gnam, civibusque ſalutarem, hoc eſt, plenam dignitatis, et timore vacuam: quam non ignaviae dulcedo commendet, periculi timor ſuadeat, virium inopia et neceſſitas imperet: quae non ſuſpicionibus agitetur, ad malos rumores trepidet, vllius denique minas expaveſcat: ſed, quae aequitatis ſtudio nitatur, publicae ſalutis cura confirmetur, virium denique fiducia acquieſcat. Eſt in Rege noſtro ſumma virtus ac fortitudo, inſita illa ab ipſa natura, animi quadam inductione roborata, atque inſuper aetatis vigore inflammata: eſt exercitus magnus et firmus, claſſis ampla et inſtructa: ſunt cives, pro Regis tam cari gloria, nihil non ſubire parati: ſunt etiam ſpei ampliſſimae, cognationis arctiſſimae, magnae denique gloriae, potentes illecebrae. Sed haec omnia longe vincit ac ſuperat ſapientia, et ſalutis tranquillitatisque publicae, omni alia re potentior, cogitatio et amor. Inter haec tamen omnia aguntur ita, vt bellum cogitari appararique videatur, cum nihil aliud, niſi pacis praeſidia, et ſecuritatis munimenta, quaeratur. Etenim videt Prudentiſſimus Princeps, eam demum certam et liquidam pacem eſſe, in qua ſemper de bello cogitetur: quae ſpecie belli mox ſuſcipiendi, ſummisque opibus gerendi, commendetur: quae bello omnia ſimiliora habeat, quam ſibi. Atque talem tutelam ſui cum ſemper pacem deſiderare intelligat: tum maxime flagitare iudicat hoc tempore, cum non modo illud bellum, quod per plures annos magnam Europae vaſtavit partem, nondum deflagravit, ſed etiam nova incendia timentur. Etenim, bellum ardere, non hac tantum de cauſſa, vt opinor, dicitur, quod eius vis ita omnia ſternit, diruit, abſumit, vt, in quibus terris ea verſata eſt, ibi magnum et diuturnum incendium ſaeviiſſe videatur, ſed etiam alia quadam incendiorum, haud paullo perículoſiori et pernicioſiori, imitatione. Nam, vt incendia non ea modo perdunt,

quibus primum insederunt, nec vicina tantum appetunt, ad quae facilem transitum alliciens ignem arripiensque materia praebet: sed etiam ad remotiora saepe loca, favillis igniumque globis eructandis, repente transsiliunt: sic belli furor, praesertim vbi diuturnitate irritatur, non continetur iis, quibus coepit, finibus, sed modo vicinos, non satis cautos, infestat, modo, intermediis omissis, ad disiunctissimas intervallis regiones, magno ac subito impetu, defertur. Cuius pestis suae exempla, si quod aliud vnquam bellum, hoc certe, quod nunc geritur, plurima edidisse et maxima, magno cum dolore, cognovimus. Non igitur praeclarissimum Rex noster prudentiae suae documentum dedit, cum altissimam illam, qua Dania, a permultis annis, fruitur, pacem Martis opibus roborare et fulcire instituit? Etenim, quo spectare alias putatis ea, quae agi pararique in Dania, saepe audistis? Mitti milites, qui nec aetatem, nec vires militares, habeant: acerrimos delectus, per Regnum vniversum provinciasque, haberi: novas e Norvegis, fortissima et robustissima gente, legiones scribi: arma parari: rem tormentariam curari: legiones copiasque ab ipso Rege diligentissime inspici ac recenseri: naves novas aedificari, omnibusque rebus instrui et armari. Haec, inquam, omnia quo consilio putatis institui, agi, curari? Non profecto ad civium sollicitudinem; non hoc amor in ipsos sinat: non porro ad externi, bene animati, periculum ac terrorem: non aequitas Illius patiatur. Quorsum igitur? Nempe ad securitatem omnium: ad pacem, non Regni finibus expellendam, sed stabiliendam potius, et omni ope retinendam. Atque istis consiliis et res eventusque respondet, summa securitate etiam ab iis, qui, nostrae felicitatis invidia, infesta nobis consilia agitabant, parta, et fructus alii longe vberrimi constant: ea inde Regis fama et gloria, ea potentiae Danicae opinione orta, vt ceteri Reges ac Populi certatim Eius amicitiam appetant, opesque Danicas implorent. Quibus

rebus

rebus laetatur Ille quidem, gaudetque omnibus: sed magis tamen securitate Suorum, quam opinione quamvis illustri, aliorum: neque aliter hanc amplectitur, nisi, quatenus e salute et felicitate Suorum efflorescit: quam Ille malit, si necesse sit, sine gloria, quam famam amplissimam, cum incommodis, iniuria, et gemitu civium.

Quod si hac indole atque animo, his consiliis, institutis, factis, etiam exteris initia imperii, omninoque nomen Suum, commendare potuit Fridericus: si Vobis, Auditores, vt mihi videor intelligere, sapientiae, literarum, virtutis, communis securitatis caussa, admiratione et amore prosequendus videtur: quas mentes, quos animos, esse putatis iis, quos propius admovit virtutibus Eius patria communis: quibus proprie consultum, tali Rege concedendo, benignitas divina voluit: qui denique omnia illa, quae instituuntur, aguntur, ad suam vtilitatem, ad suam salutem ac felicitatem, excogitari pararique vident? Si tanta est sapientiae, virtutis, in primisque animi magni et excellentis, pulchritudo et admirabilitas, vt, cum aliquid sapienter, fortiter, magnifice, dictum factumve ab aliquo, legimus, vel audimus, suaviter commoveamur animo, eumque, quem nunquam vidimus, etiam mortuum, amemus, favore ac laudibus prosequamur: quo amore, quo studio, incensos et elatos putatis eos, qui istas virtutes tantas, non de fama et auditione, norunt, sed suis ipsi oculis adspiciunt: quibus coram intueri datum est Fridericum illum suum, in quo, tanquam in augusto templo, ac vivo sacrario, tot ac tantarum virtutum pulcherrima signa, divinitus consecrata, fulgent? Agri terraeque steriles colentium curae respondent: bestiae saepe ipsae dando flectuntur, et benignitate alliciuntur ad fidem dominorum: alienissimi denique homines beneficiis conciliantur, et ad benevolentiam adiunguntur: Dani autem neque tanta salutis suae cura ad grati animi officium movebuntur, neque beneficentia ad amorem incendentur, neque felicitatis

ſuae tantae ſpe ac ſenſu ad omnem laetitiam incitabuntur? Non ita neque ad intelligenda bona ſua obtuſum pectus gerunt, neque ad beneficia celebranda duro ingratoque animo retardantur. Immo vero, ſi recte novi populares meos, ſi de meo vnius ſenſu atque animo, iudicare ceteros licet, omnes toti ſunt Regis ſui, ita fide, benevolentia, et amore, addicti ac devoti vniverſi, vt nemo ſit, quin omnes fortunas ſuas vitamque, pro Eius ſalute et gloria, dimittere, non dicam, paratus ſit, ſed optet ac geſtiat.

Huius autem diei, qua more maiorum, ſolemni ritu, inauguratur, laetitiam, certo ſcio, eſſe tantam, vt eam ne capere quidem vniverſam animi poſſint. O! quam vellem, mihi quoque datum eſſe, vt iſtius celebritatis pars eſſe, vt iſto tam praeclaro, tam memorando, tam iucundo ſpectaculo, ſenſus paſcere animumque poſſem. Quam vellem videre die hac, primum, Auguſtum ac Coeleſte Par, Regem Fridericum, cum Regina Ludovica, illud vtriusque inſtar, illam tantam maieſtatem oris, paremque gratiam: plena ac referta, a concurrente ad ſpectandum, ex omni Regno, multitudine, omnia: feſtinationes curſusque, Reges videre, adire, et contingere dextras, geſtientium: audire porro, plaudentium infinitos clamores, totoque pectore gratulantium voces: intereſſe denique coetibus ſermonibusque hominum, redundante gaudio adverſus omnis alius voluptatis ſenſum occupatorum, celebrantium mox Regis pariter Reginaeque pulchritudinem, maieſtatem, humanitatem, virtutes, mox patriae, ſuam, ſuorum, poſterorumque, felicitatem, ad omne denique genus laetitiae, toto impetu, non per hunc modo, ſed multos poſt dies, effuſorum. O! vos ter et amplius beatos, qui iſtam tantam laetitiam praeſentes haurire ſenſibus, atque dulciſſima, et nunquam parem habitura, voluptate explere animos, poteſtis!

Nunc, quoniam iſtam tantam felicitatem mihi invidit fortuna, permitte, quaeſo, Rex Indulgentiſſime, Pater Patriae

Digitized by Google

Patriae Optime, vt Tibi abſens, ſed mente, animo, fideque praeſens, acclamem Feliciter! Feliciter! Teque, laetiſſima voce, ac devotiſſimo Tibi animo, ſalutem. Salve! o! ſalve! iterumque ſalve! Friderice, Rex Potentiſſime, idemque Optime, cum Auguſta Tua Ludovica, Regni atque Tori Tui digniſſima exoptatiſſimaque Conſorte. Salve! Auctor atque Stator Danicae Salutis atque Felicitatis. Per Te ſecuritas Patriae corroborata, pax conſtabilita, omnium felicitas fundata. Per Te leges vigebunt, iuſtitia et aequitas convaleſcet, literae atque artes omnes florebunt, mercatura amplificabitur, omnium denique rerum copia redundabit. Tui muneris erit, quod vivemus, Tui beneficii, quicquid laetabimur, Tui denique conſilii, quicquid in omne tempus ſperabimus! O! gaude iſtis tantis bonis Tuis, et fruere virtute Tua et gloria! Suſtine porro illas Tuas pro nobis curas, cogitationes, et labores, neque vllo tempore nobis conſervandis, fovendis, omnique felicitate cumulandis, defatigare. Nos interea, pro Tua Auguſtae que Coniugis, ac totius Domus Tuae, felicitate vota faciemus: nos Tuis dictis et imperiis, aequiſſimis et ſaluberrimis futuris, libentiſſime parebimus: Te fortunis noſtris, manibus, ac ſanguine, defendemus: Te ſumma veneratione proſequemur, Tuumque nomen ad omnem poſteritatem gratiſſimis laudibus propagabimus.

Tu autem, Summe Deus, tuere et conſerva nobis hoc tuum tantum, tamque amabile, munus: ſerva Patriae Regem, ſapientia et virtute maximum, animo, indulgentia, beneficentia, optimum, cum Regina Auguſta, magni Patris digniſſima filia, iisque proſperrimam valetudinem largire, ſimillimamque ſubolem, cui grandaevus Pater, et vitae gloriaeque ſatur, populorum Suorum curam, Suaeque fortunae maieſtatem, tradere queat: e qua naſcantur deinceps, qui acceptam Regni, virtutis, gloriaeque, hereditatem, ad rerum vsque humanarum finem, obtineant! Adiuva Eius curas, quibus pro ſalu-

te humana excubat, et conſilia proſpera, omnibusque iis, quae, pro re Chriſtiana et publica, pace belloque, inſtituet, aget, ſucceſſus eventusque feliciſſimos et celerrimos concede.

Sed eadem cura et indulgentia Tua amplectere magnum Regis ſocerum, Georgium Auguſtum, et quoscunque Tua providentia Regi, vel cognatione, vel affinitate, vel federe, iunxit: inprimisque Potentiſſimum Regem, Fridericum Auguſtum, cum Auguſta Coniuge, et vniverſa Domo Auguſta, eumque, et ſua virtute et gloria, et Suorum, populique ſui, felicitate, quam diutiſſime frui iube.

Perfunctus ſum officio, quod incredibili meae in Regem Pietati, in Patriamque Amori, debebam. Id cum per ſe mihi fuerit, vti debebat, ſuaviſſimum, tum vero aliquanto iucundius factum eſt ſingulari humanitate, et audiendi facilitate, in primis Tua, Illuſtriſſime Comes de Manteufel, Aulae Saxonicae, vniverſaeque Saxoniae, primarium ornamentum, literarum autem praeſidium maximum, deinde Veſtra, Auditores reliqui, Rector Academiae Magnifice, Comites Illuſtriſſimi, vtriusque Civitatis Proceres ampliſſimi, Commilitones generoſiſſimi, humaniſſimi. Quo magis cupio Vobis eſſe perſuaſum, huius beneficii nunquam mihi oblivionem venturam, memoriam, per omne vitae tempus, gratiſſimam et iucundiſſimam futuram. Ita ite, et mea vota favore Veſtro ominibusque comprobate.

ELOGIVM

Digitized by Google

ELOGIVM
IO. AVG. ERNESTI

PVBLICE SCRIPTVM

AB

AVG. GVIL. ERNESTI

Digitized by Google

Digitized by Google

Iacturam fecit in Erneſtio ſuo Academia noſtra, qualem non vidiſtis, *Cives*, nec viſuri eſtis; vt olim in Metello Roma, ipſo teſte adverſario, numquam maioris civis funus ſpectatura. Sed quid Academiam tantum dico, quum vniverſa Saxonia non minorem noſtra ſuam iacturam agnoverit? Nec vero intra huius fines conſtitit tanti damni dolor tantus, ſed omnem Germaniam occupavit, et porro, velut ex publica calamitate, totius orbis litterati receſſus omnes penetrabit; plane, vt, ſi cuius vmquam magni viri amiſſi, huius vtique luctus ac deſiderium publicum ſit futurum, nec futurum modo, verum et manſurum, dum verae doctrinae atque elegantiae ſenſus, illo inprimis auctore inſtauratus, vigebit. Ita enim ille natus erat, ita educatus, ita inſtitutus, ita multo magis per ſe factus, divinitus quidem, tanta meritorum et multitudine et magnitudine conſpicuus, tanto diſcipulorum optime de omni republica merentium coetu ſtipatus, tanto virorum ſummorum, etiam regum ac principum, favore inſignis, tanto denique opere cunctis celebratus, vt, ſi ſaeculis ſingulis plures Erneſtio pares Academiae noſtrae contingere potuerint, vltra conditionem rerum humanarum felix ea et beata cenſenda videatur.

Talem quidem, et litteratorem, et theologum, ante haec duo ſaecula habere deſiimus, tum Philippum Melanchthonem, communem Germaniae praeceptorem, tum Ioachimum Camerarium, proprium Academiae noſtrae lumen, ſuae ſcholae conditorem, qui et ipſe per quadraginta amplius annos docendo ſcribendoque Lipſiam ſuam ornarat. Multae apud nos vivo illo, multae mortuo, multorum varii generis ſcholae ſunt conditae, ſed

vna

Digitized by Google

vna cum auctoribus ſuis ſepultae conticuerunt. At illius ſchola, quae ſolidiorem doctrinam cum bonis litteris et ſubtiliori ratione coniungeret, etiam nunc non laudibus modo iuſtis floret, ſed formulae quoque ſuae aemulos retinens, eo vivacior perſtabit, quod per Erneſtium noſtrum veluti poſtliminio revocata revixit. Nempe vir ille erat, caeteri a quibus infeſtaretur, quos multos expertus eſt, etiam diſcipulos, nullius numeri; illius memoriam omnis poſteritas colit, horum nomina tantum faſtis academicis inſcripta in obſcuro ſunt; vt multorum Romae conſulum nil aliud quam conſulatu functorum.

Habet omnino hoc vniverſa natura, vt non niſi raro a legibus ſuis recedat, nec menſuram modumque rerum, ne corporearum quidem, in ſingulis generibus excedi ſaepius aut magnopere velit; immo ita conſtans eſt ſuique retinens, vt, ſi quando in vtramlibet partem contra aliquid conſpici voluerit, hoc ipſo perpetuitatem ſuam certamque rerum normam demonſtraſſe videatur. Quod ita eſſe vel mortalitatis humanae diligentes ſpeculatores agnoſcant omnes. In tanta enim tamque infinita varietate, quae in corpus humanum cadat, ſenſuum, virium, convenientiae partium, vniverſi habitus, lineamentorum ductus, vultus conformationis, vt alia taceam, tanta tamen ſimilitudo eminet, qua coniungantur omnes omnino homines, vt vniverſae et certis numeris abſolutae humanitatis veluti conſpirationem atque concentum admirabundi notemus. Raro enim caeci naſcuntur, nec multo ſaepius lyncei; raro puſilli, nec frequentius proceri; raro inſigniter deformes, qui vere dici queant, vt Therſites Homericus, nec minus raro pulchri, vt Nireus. Media fere, vt in hiſce, ita in caeteris naturae generibus et mediocria frequentantur, ſed infinitis modis mixta illa e diverſis et temperata.

Idem fere ſequuta invenietur natura in effingenda vniverſa mente humana, ingeniique et animi dotibus diſtri-

Digitized by Google

diſtribuendis, vt raro vltra mediocritatem adſurgi vellet. Pleraque enim ingenia deſtinavit ſingulis rerum, operum, munerum generibus, iisque in omni vitae ratione tenuioribus. Sat multi, modo ſequerentur vitae genus, cui eſſent a natura deſtinati, in eoque tantum induſtriae, quantum poſſent ac deberent, eadem natura comite, ponerent, ſat multi, inquam, ſupererant, qui, in ſuo quisque genere, pro ſingulari quadam ac praecipua mentis indole, duces ſeſe auctoresque aliis praeſtarent, proferendisque et amplificandis artis ſuae finibus vere prodeſſent. Hos quidem natura dicavit, non ſingulis muneribus, civitatibus, gentibus, ſed vniverſae virtuti, doctrinae, humanitati donavit: non multos tamen, vel quod pauci ſufficerent reliquis acuendis, vel, quod arduum eſſet; vnde in tot pictoribus vnus Zeuxis, vnus eminuit Apelles, in tot ſtatuariis Phidias et Praxiteles. Neque eloquentiae ſortem conditionemque aliam fuiſſe Cicero monet (Brut. cap. 49.) quum omnes ait cupiſſe dicere, non plurimos auſos eſſe, potuiſſe paucos (cf. cap. 78. init.) Tot ergo velut ſidera praelucentia inter ignes minores, omnemque doctrinae ambitum illuſtrantia, quo minus exorirentur, praeter cauſſas ante commemoratas, iniquitas temporum ſubinde offecit, invidiae malignitas, inſtitutorum perverſitas, morum levitas, vitae remiſſioris ſegnities, morae denique ac taedii laborisque impatientia. Quae quidem impedimenta ſi quis arte ac ratione, quam coniungeret cum rara ingenii felicitate, omnia vel removit, vel pervicit, vt bona ſua quaquaverſum promanarent, et ad omnes gentes a litteris non alienas redundarent, eum vero non in beneficiis naturae ſingularibus, non in virtutis doctrinaeque maximis exemplis numeremus? ei non vel praecipuum ius dicamus eſſe, praemiorum vndiquaque exſpectandorum? in eius morte, ſi vel maxime ſera eum interceperit, privatam tantum iacturam, non publicam, eamque magnam agnoſcamus ac lugeamus?

Digitized by Google

Agnoſcimus vero nos et lugemus in Erneſtio noſtro maximam publicam iacturam: et, ne leviores aut hebetiores videamur, aut exteris et poſteritati concedamus, nunc quidem omnia illa, et naturae, et vero etiam viri beati propria bona contemplando, ac veluti tabulam vitae praeclare actae, pulcherrimumque ſpectaculum, proponendo, animi noſtri pietatem grati adverſus Deum, neque ingrati adverſus defunctum, aequo ſpectatori probabimus. Nam vniverſam illius vitam perſequi, vberiusque exponere, integri libri, nec parvi illius, opus et argumentum fuerit, quem ab eo ſcribi optabile eſt, qui magnitudinem et eloquentiam viri adſequi poſſit, vt Melanchthonis vita parem ſcriptorem Camerarium eſt nacta.

Et ingenio quidem vtebatur ille, non fervido aut vehementiori, ne magnopere quidem alacri, ſed leniori, ſedatiori, manſuetiori, faciliori, eleganti tamen et acuto eodem, vtque vno verbo defungar, Ciceronis, quam Demoſthenis, ſimiliori: quod aptum eſſet ſolidiori doctrinae vel percipiendae, vel ediſſerendae atque illuſtrandae, litteris vel maxime abſtruſis et reconditis excutiendis ac rimandis, optimis artibus cognoſcendis et exercendis, orationis denique flumini puro et leni fundendo, ſed eidem omni vbertate copioſo, et amoenitatum pleniſſimo. Iudicio autem valebat peracri, ſed ſedato et recto, quod aberrare illum a vero non facile pateretur, vt qui voluendo verſandoque, quid ineſſet cuique rei, quid in ea ambiguum atque impeditum, quid cuique cauſſae proprium, aut rurſus ab ea alienum, cui quidque prodeſſet vſui, acute celeriterque intelligeret; quum praeſertim ſubegiſſet ingenium infinita lectione, non intemperanti et cruda illa atque indigeſta, ſed, quam compoſuiſſet, finxiſſet ac regeret cogitatione adſidua, plurimo rerum vſu, docendi denique ac ſcribendi perpetua exercitatione; memoriam autem, cuius vigeret et tenacitate et facilitate ac celeritate egregia, adeo fidam ſibi et officioſam, ac velut dicto audientem ac promptam reddidiſſet, vt ab ea non

Digitized by Google

non temere deſtitueretur, eſſetque illa ei plurimorum inſtar theſaurorum, quales alii per otii abundantiam colligere, ſcriniisque ſuis, vnde ſapiant, inſerere conſueverunt: nimirum quia omnia legebat cum ſenſu, notatione, et vſus varii deſtinatione ac velut repraeſentatione. Animo denique eius nihil generoſius, nihil ſanctius, innocentius nihil erat. Contemptis voluptatibus ſapere auſus fuerat, laborare didicerat, laborando prodeſſe publice privatimque concupierat; nec vero id ad famam laudemque referebat, ſed ad conſcientiam recti, quem verum Dei cultum putaret. Senſus de religione, quos vel innatos vel informatos educationis beneficio concepiſſet, ratione duce, caeleſtis veritatis adiumento, inductione denique et adſuetudine, ita auxerat, emendarat, corroborarat, vt pietate in Deum, rerum divinarum ſtudio, virtutis omnis amore et cura fideli ac ſimplici, omnia metiretur. Huic animo tam excelſo idoneum natura domicilium dederat, corpus non exile illud et viribus debile, ſed, in iuſta ſtatura eximiaque dignitate, firmum, vegetum, valetudine proſpera ac fere inoffenſa, quam ad ſeptuageſimum vsque annum mira diligentia ac temperantia conſervavit. Inprimis fronte, quae mixtam hilaritate ſeveritatem, ac paene auſteritatem, referret, animus patebat ſeriorum amans, amabilis ipſe, ſed multo amabilior propter humanitatem, facilitatem, etiam feſtivitatem ac ſales vere Tullianos, numquam a modeſtia ac prudentia alienos: quibus rebus effecit, vt ſummis, infimis, qui quidem ſaperent, gratiſſimus eſſet atque deſideratiſſimus.

Tantae liberalitatis in ipſum expromptae atque effuſae ne poeniteret naturam, ſummo ſtudio adoleſcens adhuc providit. Quum ſcholam Portenſem relinqueret, Schreberus, Rector, etiam de ipſo optime meritus, ad eius fratrem ſcribens, a quo noſter domum arceſſebatur, inter alia, quae in ipſius laudem commemorabat eximia et praeclara, hoc quoque poſuit: *ille vero plures libros*

cognovit et legit, quam ſtudioſorum quisquam, qui abitum ex Academiis parat. Ipſe etiam ſaepe profeſſus eſt, hiſtoriae litterariae et notitiam et amorem primum e Portenſis bibliothecae vſu, qui ſibi liberrimus conceſſus fuiſſet, ſe conceptum duxiſſe, in eoque ſtudio Freytagium ſibi egregie profuiſſe. In Academia autem Vitembergenſi Io. Guil. Bergerus, quem humaniorum litterarum cauſſa ſectatus eſt, diſcipulum eum habuit, ſingularis induſtriae nomine, longe cariſſimum. Apud Wernsdorfium, Theologum acutum et elegantem, quum inter ſermones privatos aliquando de difficultatibus, quae legenti ſibi epiſtolas Paulinas crebrae occurrerent, queſtus eſſet, hoc reſponſum tulit: *intelligo te ſapere.* Nempe queſtus erat is, cuius commilitonibus, tantum non omnibus, libri N. T. pro ea, quae tum erat, vulgi opinione, facillimi eſſe videbantur. Horum noſtri commilitonum vix quisquam, tantam veri acute videndi recteque interpretandi facultatem, philoſophando et mathematicas diſciplinas tractando erat adſequutus, et ad cognoſcendos libros ſacros attulerat, quantam ipſe, qui etiam bonarum litterarum praeſidiis eſſet inſtructus; adeo ille iam tum inter caeteros eminebat! Habuerat autem in philoſophia ducem Schloſſerum, formulae Wolfianae philoſophum, ſed praeter caeteros elegantem, e cuius ſcholis tantum philoſophiae amorem imbiberat, vt Lipſiam delatus cum Gesnero, in privata conſuetudine, propemodum nil aliud, quam philoſopharetur. Qui quum cognoviſſet et ſubtilitatem noſtri et elegantiam, hortatus eſt eum atque impulit, vt matheſeos et philoſophiae Initia latinitate donaret. Hauſerat autem rerum mathematicarum ſcientiam non Vitembergae tantum e ſcholis Haſii, excellentiſſimi geometrae, ſed etiam ex Hauſenii noſtratis: quem vel ipſe Kaeſtnerus ille praeceptorem ſibi contigiſſe laetari ſolet. Eius frequentavit praelectiones de matheſi ſublimiori, cum duobus tribusve commilitonibus, in quibus Hermannus erat, nunc in aula Dresdenſi con-

Digitized by Google

concionator primarius, Venerandus ſenex, quum caeteri ſodales, qui ab initio ſcholarum amplius quadraginta erant, fuga moleſtiae ac difficultatis, vt fit, ſigna deſeruiſſent. In theologia Boernerum ac Deylingium ſequutus eſt; eloquentiae Germanicae praecepta tradentem audivit Gottſchedium, qui tum in eo genere optimus ac paene vnicus habebatur. Hoc curriculum emenſus eſt triennii ſpatio, cuius dimidium tamen hic Lipſiae ne totum quidem ſtudiis ſuis impendere potuit, avocatus ac diſtrictus liberorum Stiglitiae domus inſtitutione, quam provinciam ille in itinere domum faciendo, tranſiens per hanc vrbem, Freytagio ſuo ipſum commendante, ſuſceperat. Adeo celeriter proficitur ab iis, qui bene praeparati, nec nimis iuvenes, ad Academicas doctrinas accedunt! Ad hoc vsque tempus cathedrae eccleſiaſticae totum ſe deſtinaverat, quum ecce Stiglitius, praeclarus ingeniorum ſpectator, locum Conrectoris in ſchola Thomana ei offert, quem, diu cunctatus, agnito tandem nutu divino, alacriter ſpeique plenus, adiit. Quae igitur ſtudia in ſubſidium tantum adhuc theologiae, ac velut miniſtros vſus, tractaviſſet, ea iam profiteri et propter ſe ipſa colere praecipua cura et opera, novo iſto vitae genere cogebatur. In hoc munere adminiſtrando, vtut iuvenis quatuor et viginti annorum, cui regendus eſſet coetus alumnorum, inter quos conſpicerentur haud pauci, multo, quam ipſe, aetate provectiores, tamen, auxilio divino confiſus, proſperrimos ſucceſſus habuit. Quae ille divinae providentiae documenta ſingularia, inter lacrymas infinitas praedicavit, quum ante hos tres et viginti annos, collegis coram et vniverſo coetu, moderamine et cura illius ſcholae ſeſe abdicaret: quam quidem inde a Gesneri in Academiam Gottingenſem diſceſſu, ſumma omnium cum laude ſuſtinuiſſet. Huic tanto viro, Gesnerum dico, annum ipſe agens ſeptimum et viceſimum ſucceſſor tum datus fuerat, a patronis quidem ſapientiſſimis, nec vlli ſumptui, in arceſſendis vel e longinquo

ginquo viris doctis, quod et in Gesnero ante factum esset, parcentibus. Sed enim cui rectius cura illa demandaretur, non erat; et ille per omnia doctrinam, industriam, prudentiam denique suam patronis, nominatim Stiglitio suo, abunde probaverat. Neque dedisse se nostro beneficium Stiglitius postea saepe dicebat, sed ab eo accepisse. Ita virtute duce, comite fortuna, immo divino favore, doctrina denique conciliatrice, adolescens consequutus est, quod non nisi a viris praestantissimis expeti posset. Ab hoc iam tempore fama et existimatio eius indies invaluit, non modo apud nostrates, sed inter exteros etiam. Quam enim de se exspectationem commoverat, eam, licet gravem saepe adversariam, adolescenti vtique, eique feliciori, semper egregie non sustinuit modo, sed plane vicit. Edito quidem eius opera Cicerone, Olivetus ille, Ciceronis editor et ipse doctissimus, et interpres elegantissimus, prior ad eum scripsit, nec quidquam iam non magni ab eo exspectari fas esse pronunciavit. Similibus huic pluribus plurimorum de ipso iudiciis adeo parum abusus est ad arrogantiam sumendam, vt incitamenta illa sibi subiiceret ad industriae ac sollertiae progressum atque constantiam. Itaque praeter morem receptum, qui in schola senatoria docentibus aditum ad cathedram academicam eo tempore intercludebat, tulit noster etiam Patriae Parentis iudicium honorificentissimum, quum iuberetur ante hos vndequadraginta annos extra ordinem litteras humaniores iuventutem academicam publice docere, cui privatis praelectionibus tum philosophicis, tum antiquariis, tum denique philologicis iam per aliquot annos egregie profuisset. Tum vero maior indies ad eum multitudo confluere, sive historiam catholicam, Romanasque antiquitates enarraret, sive Graecos Latinosque auctores interpretaretur, nova quidem hos ratione, id est, ea, quae accommodata esset ad ostendendam et exponendam cogitandi subtilitatem, ad excitandum sensum vniversae elegantiae, ad mentem rerum cognitione ditandam, ad animum

mum

Digitized by Google

mum denique virtutis amore imbuendum, poſtremo ad verum vſum docendum legitimae interpretationis ſacrarum litterarum, quin et legum civilium, aliorumque librorum, quorum vera cognitio, verus vſus verteretur in ſubtilitate interpretandi. Namque litterae humaniores, propter inſcitiam aut perverſitatem eas profitentium, a philoſophiae, hiſtoriarum, optimarum denique artium cognitione alieniſſimae tum putabantur, quum ad ſyntaxin grammaticam, ad vocum formarumque dicendi commutationem, ad contortarum traiectionum ineptias, ad imitatiuncularum crepundia, ad orthographicas aliasque his ſimiles lites et minutias vulgo revocarentur: quae quidem profecto non poſſunt eſſe ingenii atque animi alimenta. Enimvero quum, quidquid Graecia Latiumque monumentorum transmiſit ad noſtram aetatem, plenius ac melius deinceps cognoviſſet, plane vt ſenſum atque ingenium vimque omnem veterum ipſe adſumeret atque indueret; quum rei eccleſiaſticae accuratam cognitionem ex ipſis fontibus hauſiſſet; quum denique philologiae ſacrae et interpretandorum librorum divinorum veram rationem, a Grotio praemonſtratam, priſcorum loquendi vſu notando, et LXX virali verſione comparanda, inire didiciſſet, doctiſſimis eccleſiae patribus, praecipue Graecis, in eo genere ducibus vſus, quid mirum, in theologicis eum et acutius videre et rectius ſentire potuiſſe? quid mirum, ſi, quicumque deinceps áliquid feliciter et recte conati ſunt in libris ſacris interpretandis, auctorem illum ſui ſenſus et habuerunt et lubenter praedicaverunt? Tali autem conſenſu tantum non omnium doctrinae partium eſſe vere cenſendum theologum ſibi perſuaſerat. Crediderat ſcilicet mature Philippo Melanchthoni, vel e poëtis veteribus ſenſum veri, etiam in theologia, petendum eſſe: qui quidem, auctore Victorino Strigelio *), dicere ſolebat: *Poſt lectionem bibliorum nulla lectio*

*) in locis theologicis, quibus loci communes Phil. Melanchthonis illuſtrantur etc. Neap. Nem. 1582. 4. p. 27.

lectio vtilior est, *quam tragoediarum, Aeschyli, Euripidis, Sophoclis et Senecae* etc.

Hanc ille facultatem rei sacrae vsum iuvandi, quod ab initio sibi propositum habuisset, collectam tot annorum studio, et philosophiae inprimis ac bonarum artium intelligentia comparatam, in lucem tandem proferre destinavit, docendo scribendoque ea, quae ad libros sacros, praecipue N. T. recte interpretandos pertinerent. In quo quum experiretur calumniam multorum, verae laudis comitem, qui abstinendum ei fuisse dicerent a rebus theologicis, quarum docendarum facultatem habere nullo modo posset, vt qui honores theologicos capessere non esset ausurus: non tamen a vero tramite deflecti aut deiici se passus est, satis certus, qui suae scientiae confidere posset, consiliumque sequeretur probum, simplex et salutare, quod neque alio modo efficeretur, neque ab aliis rite teneretur, eum vero curare talia dicta, tales opinationes, non debere, ne tempore suo infructuose abuteretur, quod in sacrarum litterarum posset emolumentum conferre. Et edebat scripta varii generis, nullo non theologo orthodoxo dignissima: cuius rei, ex omnibus, vnum nunc nobis argumentum sit, quod Anti-Muratorius eius Catalogo librorum prohibitorum Romano insertus est: qui honos plerisque eorum, qui vulgo sibique ipsis orthodoxi videntur, quod ab eorum scriptis non ita error sibi metuere debet, haud facile contingit. Ac ne quis hoc ita positum calumnietur, quod et in impie scriptis idem fiat, age, quis vmquam heterodoxi quidquam in nostro notavit, aut ei obiecit, aut ab eo propositum ostendere potuit, atque adeo voluit? Quippe qui et contra secus sentientes veram formulam subinde subtiliter, sed modeste, vindicatum ierit, vt in Vindiciis arbitrii divini in religione constituenda, et, in brevi repetitione et adsertione doctrinae de S. Coena.

Quum igitur exteri nobis monstrassent theologum nostratem atque invidissent, vt periculum esset, ne nobis eripe-

eriperetur, tum vero arctius eum Academia nostra complecti coepit, aulae procerum cura atque intelligentia: primo per eloquentiae professionem ei datam, deinde per locum inter professores theologos. Atque illud quidem munus quum per quatuordecim annos ornasset, quo non alius dignior veram eloquentiae vim commonstravit: quod vel scripta eius latina loquantur, quorum vera elegantia tulit, vt Germanorum Cicero diceretur: et Rhetorica eius, Initiis doctrinae solidioris subiecta: quumque primus plane inter nos exstitisset verae ac virilis elegantiae auctor, a cuius conditione plurimas ineptias segregarit, plura idem ad eam pertinere ostenderit, quae neminem ante advertissent: ne vernaculae quidem linguae aut inscius aut negligens, cuius simplicem puritatem graviter vindicarit, sibique et aliis caverit ab ineptiis corruptorum: eloquentiae ergo docendae provinciam, coniunctam sustinens cum professione theologica, quasi duplici personae non sufficeret, sedulo administratam in manus indulgentissimi Principis sponte reddidit. In theologorum autem ordine ad primam vsque cathedram deinceps evectus est, fuitque primarii professoris nomen in eo non fortuiti ordinis velut fatale beneficium, sed verae ac propriae dignitatis insigne.

In hac tam laboriosa vita quum inde a secundo et vicesimo aetatis anno singulis diebus complures horas scholis habendis insumeret; tantum tamen temporis ei superesset, vt libris scribendis, et veterum scriptis edendis vacare posset. Tot ergo ingenii sui monumenta condidit, quibus doctrinae divinae humanaeque complures partes illustrarentur, vt libri totidem ab aliis bene multis vix legendo cogniti fuerint. Tantum autem illius scripta plausum tulerunt, vt typographias Belgicas, Anglicas, Francicas eorum repetitio exerceret. Tam avide vero expetebatur eius opera, optimis auctoribus veterum impensa, vt librariis exteris satisfacere omnibus haudquaquam posset. Sed enim haec fere omnibus vulgo

nota. Illud fortaſſe minus notum fuerit, quam facile, quam lubenter, quam feliciter operi vacarit: cuius rei teſtes habuit eos, quibus interdum in aliqua philologica indagatione adiutoribus vtebatur. Ipſe praedicare ſolitus erat divinum quoddam adiumentum, quo ſibi vel offerrentur in tempore, vel ſubiicerentur, quibus ad tollendam aliquam in ſolidiori doctrina dubitationem, aut ad locum aliquem vel difficilem interpretandum, vel obſcurum illuſtrandum ſibi maxime opus eſſet. Nam ad caſum talia ſemper referenda quis dixerit? Etſi non minimum ei adiumentum aderat ſenſus ille et deſtinatio vſus, ad quam, velut ad formulam aut normam ſic omnia iam tum in legendo notata retuliſſet, vt ea per ipſas animi humani leges, quum vſus poſceret, ex ſimilitudine et conſociatione ipſi tamquam inſtaurata obverſarentur.

Sed habuit et alia laborum ſuorum vel adiumenta, vel adlevamenta, inprimis a matrimonio, quod ſeptem et triginta annos natus inierat cum Rahele Friderica Amalia Dathia, Venerandi Dathii noſtri ſorore natu maiori, virgine ornatiſſima bonis omnibus ſui ſexus, quacum laeta ei concordia viguit. Quamquam parum diuturna haec ei felicitas fuit, vt quae primo vxoris puerperio abrupta finiretur. Eo diuturnior ei fuit laetitia e prole inde ſuſcepta. Hanc ille filiam, Sophiam Fridericam, vtriusque parentis veram imaginem, adeo diligenter educavit, vt deſiderium ſuaviſſimae coniugis indies ipſi magis minueretur, haberetque illam mature ſociam vitae alteram. Hanc neque ad iuſtae doctrinae formulam plane fingi atque excoli, neque indoctam vtique torpere voluerat, maximeque ad obeunda munera, illi ſexui adſignata et propria, adſuefaciendam curaverat. In quo certe vtrique maxime conſultum fuit. Pater enim habebat, cui adminiſtratio rei domeſticae rectiſſime committeretur. Filia autem, pro pietate in patrem indulgentem ſingulari, et ipſa habebat, in quo ſibi maxime placeret, quum et levaret eius curas, et conſuetudine ſua atque adloquio eum

exhi-

exhilararet. Sed tamen neque ſe tali filia ſatis beatum, neque illam patre theologo dignam exiſtimabat, niſi etiam, quos tenellae adhuc informaverat ſenſus verae religionis, ii denique in pietatem adverſus Deum veram et non fucatam evaluiſſent: id quod ſummo cum gaudio factum animadvertebat. Talem enim et ſibimetipſi olim hereditatem vnam, ſed longe ampliſſimam et omnis hereditatis inſtar, ab vtroque parente veniſſe ſaepenumero praedicabat, eoque nomine ipſi memoriam illorum ſanctiſſimam eſſe, vt verbis non adfirmaret, lacrymae obortae diſertius comprobabant. Felicem vero etiam nunc Erneſtium noſtrum tali educatione et accepta et data. Datae fructum vberrimum hunc quoque tulit, vtut magnam partem inſcius, quod inter preces et amplexus filiae Deo carae ipſe Deo cariſſimus exſpiravit.

De hoc vitae exitu morboque praegreſſo antequam plura dicantur, quibus parentibus illam debuerit, quibus inſtitutis ac moribus compoſitam rexerit, paucis nunc exponendum videtur.

Natus eſt Tennſtadii, in Thuringis, anno huius ſeculi ſeptimo, d. IV. Aug. patre Io. Chriſtophoro, S. Theol. Doctore, Eccleſiae Tennſtadienſis antiſtite et eccleſiarum ſcholarumque ephoro, quae tum per dioeceſes Thuringicas, Salzenſem, Viſenenſem et Sangerhuſanam, Electoralis ditionis eſſent; matre Catharina Sophia Hedena, Arnſtadienſi. Hi eum tum ipſi praeceptis et exemplo religionem ac mores docuerunt, imbueruntque ſenſu honeſtatis et erga Deum pietatis, tum, poſtquam acceperat a praeceptoribus domeſticis rudimenta, ſcholae oppidanae tradiderunt, litteris latinis, graecis, hebraicisque erudiendum: in quibus illic, duce inprimis Ittershagio, tantum profecit, vt patre defuncto, ſedecim annos natus in ſcholam Portenſem deduci poſſet, vbi per quatuor annos ſub praeceptoribus, quos ante nominavi, meruit. Accepto ingenii cultu pleniori et amoeniori Vitembergam, ſolidioris ac robuſtioris doctrinae cauſſa, profectus eſt, vnde,

ditatus a praeceptoribus, quos et ipſos ſupra laudavimus, adiit hanc fortunae ſuae ſedem, laudisque hoc domicilium certum, quod, vtrum eum ornaverit magis, an ab eo magis ornatum atque illuſtratum fuerit, aliis arbitrandum relinquimus.

Sane plurimum illuſtrata eſt a Beato Lipſia noſtra, (quid enim impedit, quo minus ex hoc genere addamus nonnulla, quae ſuperius a vitae curriculi anguſtiis non capiebantur?) per ſcripta eius potiſſimum theologica. De ſcholis enim theologicis quis neſcit noſtratium aut dubitat? Inſtitutionem quidem interpretis N. T. Albertus ille, theologus et litterator Lugduno-Batavus, quum inter ſuos *plane aureolam* dixiſſet, adeo non ſuffecerunt exempla illuc transmiſſa, vt continuo nova libelli editio a typographis Belgicis paranda eſſet: cuius formula quot, non modo ſtudioſis rei tantae, ſed et magiſtris, quaſi ſignum ſuſtulit, viamque aperuit recte in ea verſandi? Bibliothecam autem theologicam in extrema Scotia lectitatam eſſe, litterae theologorum quorumdam Edimburgenſium ad noſtrum datae docuerunt, quibus litteris adiunxiſſent nonnihil ſcriptorum ſuorum, quorum in Bibliotheca illa mentionem fieri vellent. Sed, ne vobis, *Cives*, veſtraeque ſcientiae, (noſtis enim, vt de hoc genere tantum dicam, praeter Scotos aliquot, multos e Belgio, Dania et Suecia fuiſſe inter vos, qui Erneſtii audiendi cauſſa huc veniſſent) ne igitur, ſcientiae veſtrae, aut etiam ipſis laudibus viri beati, vbique perſonantibus, diffidere atque adeo derogare videamur, pluribus huiusmodi adferendis ſuperſedemus.

In ipſa autem arte theologica θεολογεῖν malebat, quam τεχνολογεῖν, quum putaret, veritati et ſimplicitati maxime conſulendum eſſe. Itaque in ipſa formula non vnius doctrinae plura immutavit, ſalva tamen cauſſa atque ſententia librorum ſacrorum: qua re malam gratiam iniit ab illis, qui ſyſtematis arbitrarii tenacitate orthodoxiam cenſerent; plebeculae ſimiles, quae, cantionibus ſacris in

melius

Digitized by Google

melius mutatis, cultum divinum in deterius mutatum, ipſamque religionem detrimentum feciſſe, opinatur. Ipſe contra lenis admodum et facilis, etiam adverſus illos erat, qui merito corrigendi ac notandi eſſent, diligenterque diſcernebat hominis perſonam et eius errores, aut lapſus; nihil magis decere theologum ratus, quam ſervare praeceptum librorum ſacrorum, iubentium comiter et blande in viam reduci eos, qui ab illa aberraſſent. Itaque facillime patiebatur diverſam tum theologiae tradendae, tum libros ſacros interpretandi rationem teneri ab aliis, quamlibet in ipſum eſſent iniqui, vt pro heterodoxis falſisque haberent, quae a ſua ratione deſciſcerent: maxime in vulgari adhuc plurium locorum interpretatione: e quibus perperam intellectis eiici atque incidi nervos argumentationis infirmae aegre paſſi, dogma ipſum convelli ab eo calumniarentur, quod non effici ex vero ſenſu dicti argueret, vtut aliunde certum conſtare minime negatum iret; immo aptiora ſubinde et firmiora praeſidia commonſtraret. Hos, non tam Chriſti, quam ſuam gloriam ſpectantes, tamen, vt maius vitaretur malum, ferendos, neque irritandos eſſe ſtatuebat. Vel iniuriis laceſſitus, etiam a diſcipulis malevolis et ingratis, eamdem conſtantiam et animi aequitatem ſervabat.

In docendi munere ſummam diligentiam, breviter et perſpicue omnia explanandi, nemini non probabat; ſaepe profeſſus inter ſuos, numquam ſe, niſi commentatum, in cathedram eſcendere: in qua concionari, declamitare et vociferari non ſolerent, niſi qui aut ſibi placerent, aut inopiam doctrinae ſtuderent vtcumque velare. Illud etiam conſtanter ſervabat, vt temporis anguſtiis, hoc eſt, ſingulis binisve ſemeſtribus, ſe ſuasque lectiones coërceri non pateretur, immo auditoribus eſſe plane ſatisfaciendum pronunciabat, et eorum, qui praelectiones et ſcholas properando abſolverent, aut bene docendo vel in dimidia earum parte ſubſiſtere cogerentur, hos excuſatius peccare dicebat. Nec vero eamdem quaſi cantilenam vsque ingerebat, ſed, quae aut legiſſet interea, aut notaſſet ſubtilius, aut etiam rectius vidiſſet, lubenter et ſimpliciter ac benigne cum auditoribus communicabat.

In concionando quantam ſubtilitatem popularitate et gravitate temperatam, quantam et rerum et verborum copiam argumento cuique accommodatam, exſeruerit, alienum ſit pluribus commemorare. Illud diſſimulare non licet, plus temporis eum in commentando abſumpſiſſe, quam, pro iſtis eloquentiae praeſidiis, ab eo requiri videretur; in hoc etiam ſimilis magno Clarkio, cui non ſuffeciſſe conſtat vnius hebdomadis ſpatium ad conficiendam vnam orationem eccleſiaſticam; neque enim iuvari quemquam, edoceri, firmari, incitari, erigi noſter exiſtimabat

recitandis iis, quae vnicuique a teneris innotuissent; facile vero effundi tales sermones, sed magno cum auditorum damno, qui officiorum non satis admonerentur, certe non edocerentur, quid esset verum in rebus summis, quid tenendum, et cur tenendum esset, qua via et ratione in religionis cognitione, adultis quidem hominibus digna, quibusque vitae institutis in virtutis christianae studio, vsuque continuo, proficiendum esset: quam quidem institutionem disciplinamque optime ex suo ipsius vsu promebat. Qui vnam eius concionem audisset, quin animo vteretur noster vere christiano planeque theologico, dubitare non poterat; quod idem omnis eius vita clamaret. Moribundis amicis lubenter aderat, eiusque adloquium in ea caussa a nonnullis expetitum est. Stiglitius nominatim, quem et ipsum adiuvit moribundum, quum diu ante cum nostro de morte sermones aliquando seruisset, bonum factum! inquit: ergo tibi debeo, quae quum aliis, pro eo ac par erat, debere vellem, frustra anquisivi. Viduis et orbis promptus auxilium praebebat, ex occulto ille quidem, nec consilio tantum, sed re quoque et opera; etiam adversus alios liberalis, quibus vere consuli beneficentia posse videretur. Sed praecipue, quotiescumque vsus publicus aliquid suae opis desideraret, liberalis erat, dando, commodando, laborando, defendendo. Amicis, qui calamitate aliqua oppressi non satis expeditas rationes haberent, vltro largam ferebat opem, in eoque sibi mirifice placebat. In se contra suosque minus liberalis, minus benignus et quasi adstrictior erat: sed enim sibi ipsi severus quum esset, erga suos videri non poterat malignior. Cognatos non de alieno, sed de suo sustentabat, non obtrudebat muneribus, aut ambitiosis precibus commoda iis expugnabat, sed non immeritos excludi a muneribus nolebat. In disciplina domestica referebat ad honestatem, elegantiam, mediocritatem omnia, temperantiae et rite adhibendi temporis studio metiebatur omnium rerum ordinem. Ita factum est, vt in occupatissima vita tranquille tamen et hilariter ageret. Quae quidem res ei caussa fuit et robur vitae longioris, quam in remissiori minusque frugali vivendi genere attingere datum non fuisset.

Defectus virium ante septuagesimum eius annum non magnopere comparuit. Etenim ad hoc vsque tempus omnia ille munera strenue obire, alacriter etiam incedere adhuc poterat, vt qui senilis infirmitatis genere laboraret prorsus nullo. Enimvero sensim ab eo termino vitae humanae, hoc est vigoris senilis, gradus eius retardari, incuruus ipse deinceps trahere magis pedes, quam proferre. Ille vero, difficultates et impedimenta omnia omnis generis superare solitus, etiam huic malo resistebat, non

ceden-


Digitized by Google

cedendo nec ſuccumbendo, ſed, quum ceteroqui non langueret, intendendo vires, et deambulationibus excitando, eaque pertinacia certe hoc effecit, vt ſerius aliquanto ad prodeundum plane deficeret. Sed moram ingraveſcenti malo iniecit etiam vſus aquarum Lauchſtadienſium aliquoties repetitus; praeſertim quum antea thermas quoque Carolinas ſemel iterumque adiiſſet. Enimvero vitam tantum illa remedia, non item virium robur, aut conſervare, aut excitare potuerunt. Ad ſcribendi etiam negotium tardior factus; manus enim, quas per omnem vitam tanto exercuerat magis, quanto pedes minus, idem diverſa de cauſſa negabant. Interea tamen ſcholas habere, colloquiis tentare miniſterii ſacri candidatos pergebat, et id genus alia pro more facere. Sed paene obmutuiſſe, recordantibus oris eius facilitatem flumenque orationis priſtinum, videbatur, memoria item omnique vi ingenii minus valere; idque magis magisque adparebat. Ipſe autem quum non poſſet non ſibi conſcius eſſe, quantopere a ſemetipſo deſciviſſet; tamen, quidquid reſiduum erat virium, id omne, Eccleſiae bonisque litteris inſerviendo, conſumere cupiebat; quoad lectulo non adfigeretur, agere tantum, quantum poſſet, deſtinabat, profeſſorem ratus docentem mori debere. Ita vtrimque vires plane confici; vt ad extremum, praeter id, quod mortale habuerat vir immortalis, propemodum nil eius reſtare videretur.

Felicem vero illum, qui, quum finis vitae adpropinquaret, neutra parte ſui maiorem adhuc vigorem retinuerit! Quid enim factum eſſet animo tam ſollerti, ſalvo quidem eius vigore, cui non pareret corpus infirmum torpore ſuo atque hebetudine? Quam dignum Erneſtio corpus idem, quantumvis ſanum, fuiſſet, quod non regeretur ab animo integro ſuique prorſus compote? Sed nos quoque felices, quibus vtcumque incolumis aliquamdiu manſit ille, licet vtraque ſui parte vehementer adfectus! Profuit nobis idem etiam vltimo luſtro mirum quantum publice privatimque. Aderat nobis eius conſilium, et vivi fama ſplendorem huic Academiae ſervabat; denique preces eius vtramque hanc civitatem Deo commendavere. Succurrebatur ei a diſcipulis, diſciplina Erneſtiana digniſſimis, qui ore ſuo Vos, *Cariſſimi Cives*, ab illo doceri vellent. Intellectum eſt, mortui diſciplinam fore ſalvam, quae vivo tam officioſe conſervaretur. Sane aliquanto plus detrimenti paſſa eſſet Academia noſtra, Erneſtio iam ante hoc quinquennium, in prima oppreſſione morbi, erepto, quia ſe minus a repentino et damno et dolore recipere potuiſſet. Ipſi quoque tam lentus ac mollis exitus ſingulari beneficio divino contigit. Nam quum eſſent ei antea ſenſus acerrimi,

rimi, ne malis et incommodis ſuis ipſius, domeſticis, alienis magnopere adficeretur, iſto torpore optime proviſum fuit. Ad extremum nihil omnino ei moleſtum erat, ne remedia quidem, corpus alias vel fatigantia vel torquentia. Et requiem talem a laboribus indefeſſae induſtriae Viro deſtinarat ſumma Dei benignitas, quae omnes dolores corporis ab eo prohibuiſſet, nec niſi ſenectutem ipſam ei morbum eſſe vellet: ipſe autem ne olim, ad Dei ſolium tranſiens, vllis animi doloribus perturbaretur, diligentiſſime per omnem vitam curarat. Quum denique paucis ante mortem hebdomadibus reſolutionem ſiniſtri lateris expertus eſſet; plane ſuarum rerum negligens totus in ſe convertebatur. Illud quidem e ſermonibus, ſubinde ab eo certe inchoatis, intelligebatur, de amicis mortuis eum, nominatim de coniuge, cogitare, quibuscum vna eſſe, in quorum habitationibus degere cuperet. Neque tamen, poſteaquam ab illa reſolutione ſiniſtrum latus ſollertiſſima cura revocarant medici, nulla ſpes reſtabat ſuis, fatum imminens ad tempus revocatum iri. Sed pectus pituita oppletum timere iubebat, ne ſuffocatione aliqua omnis vis vitalis opprimeretur, ipſeque exſtingueretur; id quod accidit. Quum enim die vndecimo menſis Septembris, ad ſextam vsque horam matutinam, placide ſomnum carpſiſſet, repente per inſolitos rhonchos ſpiritum difficilius ducere animadvertebatur. Tum vero periculum adeſſe videbatur ei, qui cubantis lectulo adſidebat. Acciti medici, quod diu timuiſſent, id plane eveniſſe, dicere, remediis nullum amplius locum eſſe, ſuffocatione et apoplexia paucis poſt horis animam exhalatum iri: isque vitae finis hora ſeptima veſpertina conſequutus eſt, iis, qui aderant, have ſancta anima! pie adclamantibus.

Huius tanti viri reliquias quum Vos, *Cariſſimi Cives*, in pompa funebri tanta frequentia talique officio proſequuti ſitis, ne memoriam eius vmquam elabi ex animis veſtris patiamini, hortatione apud Vos non magnopere opus eſſe intelligimus. Et ſunt nobis adhuc alia huius in illum amoris veſtri, atque etiam pietatis, pignora, quae nos plane iubent ſperare, fore, vt, quemadmodum per ingenii ſui monumenta perpetuo victurus ſit Erneſtius noſter, ita, per Vos quoque, veſtramque illius virtutum aemulationem, nobis quodammodo reſtitutus, nunc, olim, videri queat. P. P. Dom. XXII. p. Trinit. A. C. CIↃIↃCCLXXXI.


ING 2017277

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google